AUTHOR:

GOEKE, WILHELM

TITLE:

HOMERI DE MORTE MORTUORUMQUE...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1868]

Master Negative #

91-80397-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Goeke, Wilhelm, 1843-
Homeri de morte mortvorvmqve condicione sententiae exponvntvr atqve comparantvr cvm antiqvissimis ceterarvm nationvm cognatarvm de hac re opinionibvs. Dissertatio inavgvralis qvam ... pvblice defendet avctor Gvilelmvs Goeke ...
Halis Saxonvm [1868]
56 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1868.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

HOMERI DE MORTE MORTVORVMQVE CONDICIONE SENTENTIAE

EXPONVNTVR ATQVE COMPARANTVR

CVM ANTIQVISSIMIS CETERARVM NATIONVM COGNATARVM
DE HAC RE OPINIONIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM THESIBVS A SE PROPOSITIS

DIE VII. M. MARTII A. MDCCCLXVIII. HORA XII.

IN AVDITORIO MAXIMO

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GVILELMVS GOEKE.
GVESTPHALVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

C. FRANZ, STVD. THEOL.
TH. GROENING, STVD. IVR.

HALIS SAXONVM.

VITA.

Joannes Guilelmus Goeke natus sum in vico qui dicitur Appelhülsen Guestphalorum pridie Non. Mart. anni h. s. XLIII patre Joanne matre Anna e gente Luetkenhaus, quam iam diu mihi morte ereptam lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus per quinque annos gymnasium Monasteriense frequentavi, quod tum V. Cl. Ferd. Schultz directore florebat. Maturitatis quod vocant testimonio instructus autumno anni LXIII h. s. Monasterii civibus academicis adscriptus per sex semestria ibi in antiquitatis studia incubui. Initio philosophica studia potissimum et theologica tractans postea maxime ad ipsam philologiam me converti scholisque interfui VV. Cl. Cl. Deycks Heis Niehues Parmet Reinke Stoeckl Storck Treitz Winiewski.

Bello autem gravi interea exorto ut studia intermitterem coactus in disciplinam militiae profectus sum. Bello composito otioque mihi reddito Berolinum petivi, ubi per tria paene semestria scholas audivi VV. Cl. Cl.

Droysen Haupt Huebner Kirchhoff Muellenhoff Trendelenburg Weber institutas.

Praeceptoribus meis omnibus gratias habeo referoque quam maximas, praesertim autem viro D. et Cl. Weber, quem amantissimum habui studiorum meorum ducem et moderatorem optimum, non uno nomine me devinctum esse semper grato confitebor animo.

THESES.

1. Homerica carmina primum diuque cantata neque scripta esse ex iis ipsis satis intellegi potest.
2. Hor. carm. I. 12. versus 37—45 eiiciendi esse videntur.
3. Mythologia Vedica ad explorandam indo-europaearum gentium mythologiam eiusdem fere momenti est ac lingua sanscrita ad ceterarum linguarum cognitionem.
4. Doctrinam sec. VI. a. Chr. n. a Buddha prolatam quum Indi amplexi essent multo meliores atque feliciores publicae privataeque vitae condiciones nacti sunt.

I.

Quae Graecorum antiquissimae de morte mortuorumque statu opiniones fuerint quum perquirere instituamus, carmina epica, quae sub Homeri nomine antiquissima exstant literarum Graecarum monumenta investiganda sunt. Quamquam hac in re haud scio an locis, quibus deorum et animi humani naturae rationisque quam homines vivi et defuncti cum diis habeant, mentio fit, collectis collatisque in Homericis carminibus primigeniae hominum de his rebus notiones prolatae sint. Nam ut sermo quo Homerus et Homeridae utuntur, tam excultus et copiosus tamque venustus est ut nisi longo temporis spatio diuturnoque usu ad hanc ubertatem perfectionemque eum adductum esse putemus, sic Homericis diis atque plerisque fabulis alii praecessisse videntur. Atque vel inter omnes iam satis constat, quos Homerus humana natura indutos nobis ostendit deos, priore aetate adeo ab antiquissimis temporibus cosmogonicos, ut dicunt fuisse. Nam apud Homerum dii non iam in natura eiusque acribus et mitioribus motibus, sed omnino in rebus humanis versantur, ita ut omnibus hominum vitae rationibus intersint. Simili modo etiam deorum cultus et veneratio iam ad altiorem gradum profecta erant, purioresque notiones de eorum natura invalescebant, et ratio quae hominibus veteribus cum diis erat quo tempore Homerica carmina prodiebant, accuratius

cognita eademque longe alia ac priore aetate erat. Facere igitur non possumus, quin opiniones quas Homerus de animi humani post mortem natura et condicione profert, ab initio non semper fuisse easdem dicamus, praesertim quum homines antiqui semper vitae et initium et finem vitamque futuram ad praecipuam deorum quorundam curam referrent. Quare quum difficile sit intellectu quas Graeci genuinas de morte vitaque futura habuerint sententias, accedit etiam quod sententiae, quae nobis traditae sunt antiquissimae, nequaqam certae ac stabiles sed variae sunt multumque inter se discrepant. Nec mirum, quoniam de his rebus homines nihil certi cognitum habere possunt, unde fit, ut animi in varias diversasque distrahantur sententias. Carmina porro quae Homerica nominare consuevimus nec eiusdem poetae nec eiusdem aetatis sunt, id quod post accuratas et acres virorum doctissimorum disputationes nemini iam in dubio esse potest. Quodsi naturam ac vim Graecorum carminum epicorum intueamur, si rationem originis eorum habeamus, apparet in iis non posse omnes de his rebus opiniones inveniri, et praeter hanc quam expressam propositamque videmus sententiarum et cultus formam aliae et multae exstiterint necesse est. Inde quum efficiatur, ut consentaneum sit harum de quibus quaestionem instituimus non comprehensibilium rerum vagas notiones persaepe inter se discrepantes in Homericis carminibus nos deprehendere, omnes has opiniones populares, alias ex aliis Graeciae locis, temporibus allatas accuratius nos inquirere oportet, ut et fabularum rationem et antiquissimam primamque earum formam, intellegamus.

§. 1.

Quas Homerus in universum de morte sententias protulerit.

Graecis antiquissimis quo laetior et hilarior animus in omnibus publicae privataeque vitae institutis percipitur, quo magis omnia ad corporis voluptatem referre solebant, eo tristior et inimicior mors erat, quae crudeliter huius vitae finem faceret. Quare quamvis varia et vaga Homerica de mortuorum statu sit sententia, hominem mortuum nullum, vitam diutissime servatam summum bonum esse multis locis aperte et distincte expressum videmus. Vitam diuturnam esse optandam testantur loci Il. I. 416. IV. 478. IX. 415. XXI. 65, quam quoniam amissuri sunt, homines vocantur *δειλοὶ βροτοί* (Il. XXI. 464. XXII. 31. 76, *οἲζυροί* (Od. IV. 197 cf. Il. XVII. 446), ita ut haec voces stabiles usurpatae esse videantur. Mortem homines destantur Il. III. 454. IX. 312. Od. XII. 341, imprimis vero Il. XVI. 857, ubi anima Patrocli e corpore ad inferos evolat

ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδρότητα καὶ ἥβην et

Od. XI. 488—91 ubi Achilles copiosius dicit Ulyxi, se malle vivum vitam molestam ac laboriosam in servitute degere, quam mortuis imperare. Sed iam respicit hic ultimus locus, ut totus paene liber undecimus interpolatus est [1]), ad posteriorem aetatem, quo tristiores de morte opiniones invalescebant. Quamquam enim Graeci mortem fugiebant, tamen, quae erat animi moderatio antiquissima aetate mortem non tantopere detestebantur ab eaque abhorrebant, quantopere id apud alias multasque nationes et factum esse et fieri reperimus. Nam mortem putabant alteram vitam esse quamvis mancam atque imperfectam minusque laetam. Inde emanat vetus

[1]) cf. Lauer, Quaestiones Homericae.

illa et penitus insita opinio, quum quis e medio decessisset, propinquis tamen cum mortuo continuum et sempiternum vinculum esse; de qua re postea mihi erit dicendum.

§. 2.

De animi humani post mortem natura.

Morte separatur corpore anima, *ψυχή*, quae vox proprie spiritum significat. Ultimus hic spiritus, quum corpore dissolvitur (Il. VIII. 123: *τοῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μένος τε* cf. V. 296), per os hominis (Il. IX. 409) aut per vulnera (XIV. 518) evolat: *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἀϊδόσδε βεβήκει* (Il. XVI. 856. XXII. 362), vel deserit corpus (Od. XIV. 134: *ψυχὴ δὲ λέλοιπεν* cf. XVIII. 91). Quare *ψυχή* etiam dicitur vita: Il. XXII. 161. 325. 338. IX. 322. Od. I. 5. III. 74. IX. 423. XXII. 245. Ita *ψυχή* quoque una cum voce *αἰών* legitur Il. XVI. 453: *λίπῃ ψυχή τε καὶ αἰών*. Recte igitur censet Helbig [1]): *ψυχή* apud Homerum nusquam animum neque animi facultatem significat, sed est aut viventis hominis anima aut anima, quae post mortem hominis specie corporis induta apud inferos versatur.

Idem fere ac *ψυχή* significat in Homericis carminibus vocabulum *θυμός*, ita tamen, ut *θυμός* magis anima cum corpore conjuncta esse videatur [2]). Has enim significationes non multum inter se discrepare ostendunt variae elocutiones, quibus voces *ψυχή* et *θυμός* promiscue usurpatas videmus, ut:

ψυχὴν ἀφέλωμαι (Il. XXII. 257) et *ἀπὸ θυμὸν ἕλοιτο* (V. 691. XVI. 655. Od. XIV. 405); *τὸν δ' ἔλιπε ψυχή* (Il. V. 696) et *τὸν μὲν λίπε θυμός* Il. IV. 470 cf. Il. XVI. 410 cum Od. XVIII. 91); *ψυχὰς ὀλέσαντες* (Il. XIII. 763) et *ὤλεσε θυμόν* (Il. XI. 342. XVII. 616. XX. 412); *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη* et *ῥεθέων ἐκ θυμὸν ἕληται* (Il. XXII. 68 vel *θυμὸς ᾤχετ' ἀπὸ μελέων* XIII. 671. XVI. 606, *ἀπὸ δ' ἔπτατο θυμός* Il. XVI. 469 cf. XXIII. 880).

Quin etiam quod saepissime legimus, *ψυχήν* descendere ad inferos, eodem decedere dicitur Il. VII. 131 *θυμός*. Quare ex his, quos commemoravi locis apparere mihi videtur, *ψυχήν* et *θυμόν* easdem fere inter alias habere significationes.

Ψυχή igitur (vel *θυμός*) corpore hominis derelicto ad inferos descendit, quum corpus vita emissa rigidum remaneat. Quamquam autem iam inde ab initio Graecis erat observatum, animam humanam corpori superstitem et immortalem esse, tamen his antiquissimis temporibus homines rudes hominis simul cum morte propriam vitam exstingui naturamque deleri putabant. Etenim quum vita, quae corpore et spiritu continetur, privati essent, vigor evanuerat et facultas bene pulchreque vivendi, qua in re Graeci vitae summam ponebant. Quare non est, quod miremur, locis nonnullis a poeta corpus proprie hominem verum apellari, ut legimus Il. I. 4:

ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν [1]).

Sed consentaneum est, de his rebus non easdem invaluisse opiniones neque potuisse, ut supra commemoravi. Inveniuntur enim multi loci qui hominem totum et verum ex veterum sententia descendere in Orcum demonstrare videntur cf. Il. III. 322. VI. 410sq. 422. XIV. 456. XX. 336. Od. IX. 523.

---

[1]) Dissertatio de vi et usu vocabulorum *φρένες θυμός* similiumque apud Homerum. Dresdae 1840.

[2]) cf. Grotemeyer: Homer's Grundansicht von der Seele. progr. Warendorf 1853/54.

[1]) cf. Nägelsbach, Homer. Theol. 2. Aufl. p. 381 sqq. Nürnb. 1861.

Errare igitur videntur Grotemeyer et Nägelsbach, qui de his rebus locupletissime et diligentissime disseruerunt, quum carminibus Homericis unam et eandem inesse velint opinionem de rebus, quae natura sua non comprehensibiles aliae aliis temporibus et locis percipiebantur, ita ut eas multum inter se discrepantes adeo omnino contrarias deprehendamus.

Quare tenebimus hoc, antiquis fuisse persuasum, animam humanam quam per se ipsam viventem non poterant mente complecti sed aeriam putabant [1]), corpori esse superstitem atque umbram factam sempiternam vitam degere. Est autem haec umbrarum vita manca et imperfecta, inscia quaedam prioris vitae rationum actionumque repetitio. Mortuorum enim animae vocantur apud Homerum umbrae, *σκιαί* (Od. X. 495), simulacra inania, *εἴδωλα, εἴδωλα καμόντων* Il. XXIII. 104. Od. XI. 21. Il. XXIII. 72), *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα* (Od. XI. 29), vanae somnii imagines, *σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ονείρῳ* (Od. XI. 207 cf. 222), similes sunt fumo (Il. XXIII. 100:

ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνὸς ᾤχετο τετριγυῖα,

Quibus e locutionibus patet animas vita propria ac vera amissa aliam degere quasi umbrae vel somnii vitam, ut pulchre Vergil. Aen. VI. 292:

tenues sine corpore vitas
admoneat volitare cavae sub imagine formae.

Similes animae omnino sunt veris hominibus, quales antea erant adeo quod attinet ad vestitum, ut Il. XXIII. 65:

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο
πάντ' αὐτῷ, μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα
καὶ φωνὴν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.
cf. 107: *ἔϊκτο δὲ θέσκελον αὐτῷ.*

Itaque quodammodo priorem vitam agunt, quamvis obscuratam et vagam. Nam cognitio, quae mortis momento hominibus maior humana est, adeo ut futuras res divinare possint (Il. XVI. 843 sqq. XXII. 358), apud inferos deminuta et debilitata est, ita ut mortui in stupore sensus versentur (cf. Il. XXII. 389. Od. XI. 476). Soli Tiresiae vati Proserpina mentem servavit integram (Od. X. 493), ceterae autem animae sanguine gustato (cf. Od. *νεκυία*) mentem recipiunt.

[1]) Grotem. l. c. p. 20 sqq.

Aeque mortuorum lingua debilitata est, et dicitur stridens, *τετριγυῖα* Il. XXIII. 101. Od. XI. 605. XXIV. 6. Sic animae mortuorum quasi in somnio vitam inter umbras degunt. Carent vigore: *ἀτὰρ φρένες οὐκ ἐνὶ πάμπαν* (Il. XXIII. 104) cf. Od. XI. 393, ubi Agamemnonis umbra vigore exuta frustra Ulyxem brachiis amplecti conatur (*οὐ γὰρ οἱ ἔτ' ἦν ἲς ἔμπεδος*). Simili modo pergit etiam stupore sensus affectus in Orco Orion in venatione (Od. XI. 572). Neque Minos apud inferos alius est ac vivus fuerat, quippe quum sapientissimus disceptator etiam mortuus esset (Od. XI. 538). Achilles autem et Hercules heroes iidem apparent, qui in vita erant (485. 606 sqq.).

Quae huc pertinent opiniones quamvis inter se discrepent, tamen ex iis, quae proposui, satis intellegi potest, esse in universum unam de hominum defunctorum condicione sententiam vulgarem atque communem. Non autem huic obstare videtur, ut antea dixi, quod legitur, animam non comprehendi posse quum evanescat (Il. XXIII. 99. Od. XI. 206), quamquam alio loco animas mortuorum gladio stricto arceri videmus (cf. Od. XI. 48 sqq.)

Sic quoque interdum defuncti maiorem ostendunt quam hominum est, scientiam (Il. XXIII. 80, Od. XI. 69), quamquam plerumque proponitur et omnino fere exstat opinio, animas sine mente animoque vivere. Haec et alia eiusmodi quantopere inter se discrepent, neminem effugere potest, sed si qua ratione Homerica carmina orta sint, respicias, res non mira est. Accedit quod has dis-

crepantias in omnium gentium de his rebus sententiis deprehendere consuevimus.

§. 3.
De defunctorum sede.

Anima corpore relicto in Plutonis domum descendit, unde illae usitatissimae elocutiones reperiuntur, animam *δῦναι δόμον Ἄϊδος εἴσω*, vel *εἰς Ἀΐδαο δόμους*, *Ἀϊδόςδε*, aliae, quibus *Ἀΐδης* vel quod deprehenditur nomen *Ἀϊδωνεύς* (Il. V. 190. XX. 61) inferorum rex esse dicitur. *Ἀΐδης*, frater Jovis, quum summi dii orbem terrarum mundique imperium inter se dividerent, sorte nactus est *ζόφον ἠερόεντα* (Il. XV. 191), vocatur *Ζεὺς καταχθόνιος* (Il. IX. 457) atque rex est omnium, qui apud inferos sunt (*ὑπένερθε ἄναξ ἐνέρων* Il. XX. 61. XV. 188), apud quos cum coniuge *Περσεφόνεια* eandem habet potestatem dignitatemque, quae in Olympo Jovi cum Uxore Junone est, quam ob rem Vergilius Proserpinam Junonem infernam dicit (Aen. VI. 138).

Regem inferorum eiusque coniugem tristes ac terribiles esse persaepe in Iliade et Odyssea idque fusius enarratum videmus. Nam *Ἀΐδης* dicitur *πελώριος* (Il. V. 395), *ἴφθιμος* (Od. X. 534), *ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος* (Il. IX. 158). *Ἀΐδης* est crudelis mortis deus, qui nullo sacrificio, nulla libatione placari potest, quare perraro ab hominibus invocari solebat (cf. schol. Il. IX. 158) [1]. Eadem est immitis natura coniugis eius, quae saepissime *ἐπαινὴ Περσεφόνεια* nominatur regina umbrarum (Od. XI. 213. 385). Tenet Medusae caput (ibid. 633 sqq.) quod qui intuetur in lapidem convertitur, est infesta vitae (cf. Horat. Carm. I. 28. 19: nullum saeva caput Proserpina fugit (cf. II. 13. 21. Verg. Aen. IV. 698). Quae

[1]) Cf. Preller, Griech. Mythol. I. p. 496.

Proserpinae crudelis natura continetur antiquissimo nomine *Περσεφόνη*, quod nomen mortem atque perniciem significat (cf. Preller l. c.). Itaque Proserpina eadem immitis dea inferorum est quae Hel apud maiores nostros.

Sic regnant *Ζεύς τε καταχθόνιος καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια* (Il. IX. 457) insatiabiles atque implacabiles, diis hominibusque infesti; puniunt animas hominum periurorum (Il. III. 278), percipiunt perficiuntque per Furias, quarum domini sunt, exsecrationem, qua parentes liberos afficiunt (Il. IX. 454 sqq. 569 sqq.). Quos deos si quis invocabat, terrae solum pulsare solebat (Il. IX. 568).

Domus autem regis inferorum lugubris et tenebrosa est, cf. *οἰκία*
σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ (Il. XX. 65), referta terribilibus rebus (Od. XI. 634), lata (Od. XI. 571: *εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ*), quippe quum *Ἀΐδης* sit *πολυδέκτης, ἄναξ πολυδέγμων* (hymn. in Cer. v. 9. 17. cf. 376).

Nonnunquam domus portae pro domo ipsa itaque pro regno inferno commemorantur Il. V. 397. 646. IX. 312. XXIII. 71. Inde *Ἀΐδης* ipse dicitur ostiarius, *πυλάρτης* (Il. VIII. 367. XIII. 415) et depingebatur cum clave (Paus. V. 20. 1), quam clavem, ut posterior erat fabula, Pluton Aeaco tradiderat (Apollod. III. 12. 6.) [1]).

Domus portas custodit canis (Il. VIII. 368), quem Hercules sub lucem protraxit (Od. XI. 622). Hic canis, cuius nomen postea notissimum *Κέρβερος* et uberiorem posterioris aetatis notionem ex Hesiodi theog. 310 perspicimus ne mortui, excedant e domo velat ac prohibet. Nam si quis semel ingressus est, excedere non licet (cf. Verg. Aen. VI. 126 sqq.).

Domus igitur illa omnino lugubris et tristis regnum-

[1]) Cf. Preller l. c. p. 501.

que infernum in obscuritate et tenebris est. Conferas Il. XV. 191: Ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα (Il. XXI. 56. XXIII. 51), quibus locis ζόφος idem significat atque Ἔρεβος, tenebras dico.

Nomina ipsa Ἀΐδης et Ἀϊδωνεύς derivanda sunt a radice sanscr. vid cum α. privat. composita, indequē principem regni invisibilis significant. Signum autem huius obscuritatis galea illa sane memorabilis est, quam Ἀΐδης gestat, Ἄϊδος κυνέη (Il. V. 845) quam in nostris quoque fabulis deprehendimus nominatam tarnkappe vel nebelkappe. Quae galea nebulam significat, qua si quis opertus et involutus est, videri non potest, quam ob rem Minerva quoque eam sibi induit (Il. V. 845) et Mercurius in pugna cum Gigantibus facta et heroes Perseus (cf. Hesiod. scut. Her. v. 226) et Hercules. [1])

Sic quoque regis domus Ἔρεβος esse dicitur (Il. VIII. 367 sqq. XVI. 327 hymn. in Dem. v. 350 Od. XX. 356), quae vox tenebras significat eandemque stirpem habere videtur ac sanscr. rajas, goth. riqvis. [2])

Hanc domum domicilium omnium animarum defunctarum in ima terra esse multis locis elucet, cf. Ἀΐδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης ἔρχεαι (Il. XXII. 482 cf. XX. 61 sqq. hymn. in Dem. 399. 447 al.) γαῖαν ἐδύτην (Il. VI. 19), εἶμ' ὑπὸ γαῖαν (Od. XX. 81). Eadem opinio satis patet inde quod inferi ἔνεροι nominantur et mortui homines et dei, quorum in potestate animae sunt (Il. III. 278 sq. XIX. 259).

Inde igitur luculentissime apparet antiquitus Graecis fuisse persuasum, animas mortuorum apud Plutonem et Proserpinam versari in ima terra, unde oritur et quo redit omnis vita. Sed tamen si accuratius Homerica carmina pervestigaveris, facile erit intellectu, etiam hanc opinionem de loco, ubi regnum infernum putandum sit, non semper eandem fuisse. Duplex enim erat omnino de hac re sententia, quarum una eademque usitatior, animas sub terra versari, praecipue in Iliade occurrit, altera vero, ex qua domicilium mortuorum in regione occidentali est, in insula quadam Oceani, ubi sol occidat et nox versetur, imprimis in Odyssea proponitur. Omnino in Odyssea mitior quaedam opinio de hoc regno apparet. Deest ille fervor, quem in Orco describendo in Iliade inesse videmus, sedes manium hic est sine gaudio, iners, ita tamen ut satis eluceat, quantum in opinionibus de regno inferno prolatis ab hoc remissiore dicendi genere sermo ille vivax et fervidus, quem in Iliade inesse videmus, abhorreat. Umbrae quidem in Odyssea quoque in tenebris sub terra vitam degere dicuntur, sed huic opinioni immixta est saepissime altera illa, umbrarum domicilium trans Oceanum in occidente nebuloso situm esse. Nam Ἔρεβος sub terra, Νύξ prope ad occasum solis esse putebatur. Ἔρεβος et Νύξ sunt primi Oceani liberi (cf. Hesiod. th. 123) significantque regiones omnis et originis et mortis. Hae notiones igitur, Erebi in ima terra siti noctisque in extrema mundi parte semper inter se cohaerent et coniunguntur, imprimis apud Hesiodum, apud quem omnino duae hae sententiae aperte et distincte non prolatae sunt [1]).

[1]) Cf. Preller l. c. p. 494.

[2]) Cf. Leo Meyer, Bemerkungen zur ältesten Gesch. der griech. Mythol. Gött. 1857.

Itaque Ulixes navigat trans Oceanum, qui est in remotissimo occidente, in finibus terrae (cf. Il. XIV. 200. hymn. in Ven. 228), ubi nemora Proserpinae et domus Plutonis sunt (Od. X. 508 sqq.).

Quare quum sententias de animarum sede non aperte et clare distinctas esse intellegamus, quum haec sedes et in ima terra et in remotissimi Oceani regione esse

[1]) Cf. Preller l. c. p. 32.

putaretur, tenebimus certe hoc, regnum infernum semper in obscuritate ac tenebris esse antiquos putavisse. Hae autem tenebrae mox *Ἔρεβος* dicuntur, mox *ζόφος*, quam vocem saepissime de noctis et solis occidentis tenebris usurpatum videmus ut Il. XII. 240. Od. XII. 81. XIII. 241. Quin etiam nomina *Ἔρεβος* et *ζόφος* promiscue usurpata sunt hymn. in Dem. 336 sq.

Nec minus quantopere huiuscemodi de regno inferno opiniones inter se discrepent, ostendunt antiquissimae notiones, quae ad *Τάρταρον* pertinent. *Τάρταρος* quoque significatio est regni inferni, haud sane eius regni, in quo *Ἀΐδης* dominatur cf. Il. VIII. 16: *τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης*, sed proprie et genuine sedes priorum deorum, qui ab Iove pugnis illis tam copiose pulchreque a poetis enarratis devicti in Tartarum missi sunt ibique sempiternam vitam degunt. Hanc Titanum sedem et in occidente extremaque terra et sub terra esse situm, ita ut semper hae notiones artissime coniunctae sint, permultis Homericorum carminum locis dilucide et aperte legitur, cf. Il. VIII. 13 sq. . . . *ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον* cf. ibd. 478 sqq. XIV. 200 sqq. 274. 279. XV. 225. hymn. in Apoll. 335, hymn. in Herc. 256:

ῥίψω . . . ἐς Τάρταρον ἠερόεντα
εἰς ζόφον αἰνόμορον καὶ ἀμήχανον.

Apparet igitur ex iis, quae disserui, antiquis Graecis aetate, qua Homeri carmina decantabantur, observatum fuisse, animas defunctas apud Plutonem et Proserpinam in regno inferno vitam degere sempiternam, et regnum hoc subterraneum atque in nebulosa tenebrosaque terrae parte situm esse.

Quod regnum, in quo animae stupore sensuum affectae priorem quasi repeterent vitam, Graeci variis signis quae ad noctem tenebrasque et ad sempiterna claustra pertinere videbantur animo sibi exornare et depin-

gere solebant. Ibi erant ut in priore vita, horti, lucus — *ἄλσεα Περσεφονείης*, repleti tristibus illis et steribilibus arboribus quae ad mortem spectant, salicibus et populis. Ambulant mortuorum animae in prato illo quod dicitur *ἀσφοδελὸς λειμών*, sed omnia quae in describendo Orco deprehendimus tristia et inertia sunt ut sterilis quoque vacca diis inferis immolabatur (Od. X. 522).

Imprimis vero notiones graves quaeque praecipue posteriore aetate summi momenti fuere, de fluminibus infernis commemorandae sunt. Omnium horum fluminum vetustissimum maximeque memorabile est Styx, quod antiquissimis temporibus unicum regni inferni flumen fortasse putabatur. Est terribilis et infestus fluvius (Il. VIII. 369), per cuius aquas dii iurare solebant (Il. XIV. 271. hymn. in Merc. 519) quod ius iurandum summum et gravissimum est (Il. II. 755. XV. 38). Etiam Styx est flumen remotissimum in extremo occidente ubi nox et solis occasus est (cf. Hes. theog. 782 sqq.)

Alia deinde fluminum nomina exhibentur primum Od. X. 513, *Ἀχέρων*, *Πυριφλεγέθων*, *Κώκυτος*, quorum iam nominum significatio ad regnum infernum spectat. Haec quum flumina, quae a posterioribus poetis aetatibusque copiosius et fusius enarrari et describi solent, regnum infernum separent a regno supero, opinio postea invalescebat, animas trans aquas esse traducendas a Charonte, cui ob eam rem pecunia solvebatur, quae mortui corpori apponi solebat. Sed Homerica opinio genuina et vulgaris sine dubio est, animas per se ipsas in Orcum proficisci, a qua alieni sunt soli loci Il. XXIII. 71, ubi animam Patrocli flumen transgredi oportere narratur et Od. XXIV. init. quo loco Mercurius animas procorum ad inferos deducere dicitur. Sed ut totum Odysseae librum vicesimum quartum posteriore tempore additum esse iam satis inter viros doctos constat, sic quoque illa

de Patrocli anima narratio interpolata esse videtur, de qua re conferendus est Lauer [1]).

§. 4.
De poenis ac praemiis, quibus mortui afficiuntur.

Quamquam opiniones Graecorum de morte mortuorumque statu antiquissimae erant iniucundae et tristes, tamen aliae quoque pulchriores de beata quadam post mortem vita invalescebant. Naturae consentaneum erat, quod putabant homines eos, qui bene vitam degissent, aliam eandemque feliciorem post mortem acturos esse vitam, quam qui minus recte in hoc mundo vixissent. Infitiandum autem non est, sententias de his rebus praecipue aetate posteriore usitatas esse, apud Homerum contra et iam inde ab initio non pervulgatas fuisse. Errare mihi autem ii videntur, qui Homerum omnino non novisse poenas ac praemia quibus homines mortui afficiantur, contendunt et probare conantur. Nondum fortasse aetate quam Homerica secuta est, hominibus persuasum erat, deos punire defunctos et haud scio an poena qua homines afficiebantur a diis antiquissimo tempore sola fortuna adversa et mors fuerit. Nam illi, qui sempiternas post mortem poenas dare feruntur (Od. XI. 576 sqq.), Tantalus, Sisyphus, Tityus, iam vivi diis infesti erant, ita ut vivi videantur affecti esse poenis a quibus ne mortui quidem liberati sunt [2]). Sed tamen vestigia nonnulla illius postea vulgaris sententiae, defunctos aut beatam aut tristem vitam agere, iam in Homericis carminibus occurrunt. Consentaneum autem est, priorem esse notionem de poenis in regno inferno dandis, quam illa altera de praemiis secuta esse videtur [3]).

---

[1]) cf. Quaestiones Homericae p. 23.
[2]) Preller l. c. p. 512.
[3]) cf. Nitsch z. Od. III. p. 319 sqq.

Ac primum commemoratio Tartari, de quo supra dixi sententiam mihi demonstrare videtur antiquam, ex qua iis, qui scelerate vixerant, post mortem propter commissa poena danda erat. Nam saepenumero in Iliade et Odyssea legimus. Jovem, summum deum prioris aetatis deos, Titanes in Tartaro clausos et abiectos habere. Quo factum est ut posteriore tempore quum accuratiores et stabiliores quaedam, quoad fieri poterat notiones de mortuorum statu concipi coeptae essent et communis iam vulgarisque de poenis ac praemiis futuris opinio exsisteret, Tartarus omnino sceleratorum hominum post mortem sedes, Elysium contra beatorum domicilium putaretur.

Summi autem et gravissimi momenti ad hanc sententiam confirmandam sunt deae illae quae dicuntur *Ἐρινύες*, administrae Plutonis et Proserpinae (Il. IX. 454), quorum liberi postero tempore habebantur [1]). Sedes earum in regno inferno est Il. XIX. 259 cf. IX. 571 ubi *Ἐρινὺς ἠεροφοῖτις* dicitur, puniuntque homines sceleratos praecipue periuros cf. Il. XIX. 260:

Ἐρινύες, αἵθ᾽ ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις κ᾽ ἐπίορκον ὀμόσσῃ

Il. III. 278 cf. XV. 204. Od. XVII. 475.

Audiunt porro parentes liberos exsecrantes Il. IX. 454. Od. II. 135. XI. 280 atque vox *ἐρινύες* ipsam hanc exsecrationem significat Il. XXI. 412. Ratio harum dearum et cognatio cum Orco Il. XIX. 418. apparet, quo loco retinent vocem equi Xanthi, qui Achilli mortem vaticinatur et Od. XX. 66, ubi Harpyiae ad eas Pandarei filias interituras afferunt. Quibus ex locis iam satis mihi intellegi videtur, harum dearum naturam artissime cum diis inferis regnoque inferno coniunctam esse. Plane id autem demonstrant nomina, quae iis his locis indita sunt, *ἠεροφοῖτις, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα, δασπλῆτις* (qua-

---

[1]) cf. Lobeck Aglaoph. I. p. 547.

cum voce conferas *Ἄρης τειχεσιπλήτης* (Il. V. 31), *στυγεραί,* quod vocabulum Il. VIII. 368 cognomen Plutonis est. Itaque *Ἐρινύες* affines sunt deabus fatalibus, quae vocantur *Μοῖραι*, quippe quum fatum atque mors antiquitate semper communi quodam vinculo coniuncta esse videantur. Sic *Ἐρινύς* est dea irascens, quo sensu Pausanias verbum *ἐρινύειν* in Arcadia usitatum affert, ubi mentionem *Δήμητρος* irascentis facit (cf. VIII. 25. 4); *Ἐρινύς* ut ait Welcker [1]) est et sceleratorum hominum mala conscientia et regni inferni dea, quae homines iniuria affectos ulciscitur. Cf. Verg. Aen. IV. 469. VII. 324. XII. 845.

Quamquam igitur in Iliadis et Odysseae genuina et primigenia forma has poenarum notiones non distincte expressas videmus, non tamen eorum opinio probanda esse videtur, qui negant ex veterum sententia exstitisse omnino sceleratorum post mortem poenam. Nam saepissime ut supra exposui, dii inferi in suo regno eos puniunt, qui grave aliquod peccatum in priore vita commiserint, quod munus plerumque comites et administrae eorum *Ἐρινύες* suscipiunt.

Quibus opinionibus de poenis futuris factum esse videtur, ut notio illa exsisteret de beatissima eorum, qui bene recteque vitam hanc terrestrem degissent, in Elysio vita, de qua primum Od. IV. 560 sqq. sermo est. Ibi Proteus vaticinatur Menelao, qui diis imprimis vero Jovi acceptus et carus erat, deos eum ducturos esse in Elysium prope ad Oceanum, ad fines terrae, ad pulcherrimam beatissimamque vitam. Quare quum Menelaus vivus in Elysium perventurus esse dicatur, hoc initio quidem domicilium animarum defunctarum plane non putatum esse videtur. Hunc locum, quem vocat insulas fortunatas, Hesiodus quoque norat [2]). Vita quam animae agunt in

---

[1]) cf. Griech. Götterl. I. p. 699.

[2]) cf. Op. et D. 171.

Elysio, ubi *ξανθὸς Ῥαδάμανθυς* dominatur, haud multum discrepat ab Olympiorum vita (Od. IV. 41), eadem est ac vita quam homines primae sive aureae aetatis in terra degebant.

Quamquam igitur vetustiores Graeci plerumque, quum mortem imminentem intuerentur, terrore ac metu implebantur, tamen pulchrae quoque et iucundae quaedam exstant eorum opiniones de beata vita, quam mortui locis amoenissimis acturi essent. Quare recte fortasse censere videntur, qui enarrationem praeclaram illam, quam in Odyssea de Phaeacibus eorumque beata vita prolatam invenimus referri volunt ad hanc beatam vitam [1]). Phaeaces *μάκαρες* vocantur qui vita hac terrestri persaepe molesta peracta quietem pacem quamcunque voluptatem adepti sunt. Navibus Rhadamanthum ducunt Euboeam: *ἐποψόμενον Τιτυὸν γαιήϊον* (Od. VII. 324). Sedes huius beatae gentis ibi sunt, ubi insulae fortunatae putabantur in fabuloso occidente, ubi nox atque tenebrae sunt.

Maxime autem pertinent ad hanc de poenis et praemiis futuris sententiam a posterioribus uberius descriptam magisque tum pervulgatam notiones de mortuorum iudicibus, quorum nomina Minos, Rhadamanthus, Aeacus sunt. Homerica quidem aetas has notiones omnino ignorat, id quod facile in aperto erit, si locos, quibus haec nomina commemorantur, accuratius pervestigaverimus. Quare vehementer ii errant, qui Od. XI. 570 Minoem iudicem dici mortuorum volunt, nam e verbis ibi prolatis:

οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα

hoc solum patet, mortuos quas inter se gererent lites ad eum deferre eiusque sententiam sequi. De qua verbi *εἴρειν* significatione cf. Il. I. 513. Od. XI. 542 al. Apparet igitur Minoem eodem quo antea inter mortales defungi munere nec alio modo atque Orionem aliosque apud

---

[1]) cf. Osterwald, Homerische Forschungen. Halle 1853.

inferos vitae prioris rationes sequi. Est igitur rex ille sapientissimus et clarissimus qui antea fuerat, id quod patet quoque e verbo *θεμιστεύειν* (cf. Il. I. 238. II. 205) hoc loco usurpato, „which signifies rather to give law than to administer it: or, at least, to exercise the function of a hing rather than of a judge (*ἵστωρ* Il. XVIII. 501. XXIII. 436)“ [1]). Postea vero usitatissimae erant notiones de his apud inferos iudicibus, quibus mortui aut poenis aut praemiis afficiendi tradebantur, quare hi iudices semper deinde iusti comites et ministri Plutonis et Proserpinae habebantur.

Minos filius est Jovis, qui eum e femina mortali procreaverat (Il. XIII. 450. XIV. 321). Erat semper Jovi summo carissimus, a quo ut fama fert, novem annos natus sapientia instructus est (Od. XIX. 179), quare sapientissimus Cretensium rex erat (Od. XVII. 523) cf. Hesiod. apud Plat. Min. p. 350: *ὃς βασιλεύτατος γένετο θνητῶν*. Rhadamanthi ter fit apud Homerum mentio. Dicitur Il. XIV. 322 frater Minois, deinde in Elysio habitare commemoratur Od. IV. 564, postremo Od. VII. 323 legimus Phaeaces navibus suis eum in Euboeam traduxisse:

ἐποψόμενον Τιτυὸν γαιήϊον υἱόν.

Patere videtur ex his locis Rhadamanthum, qui cognomine *ὁ δίκαιος* apellabatur (cf. Ibycum ap. Athen. XIII p. 603 B) eadem potestate et auctoritate usum fuisse qua frater Minos excellebat, quare sententiam amplector quam Gladstone affert [2]): Rhadamanthus went to punish Tityos as an offender (Od. XI. 580) within the realm of Minos, ad did this on the part and in lieu of Minos himself.

Tertius horum iudicum *Αἰακός*, filius Jovis et Aegi-

[1]) verba sunt quibus utitur Gladstone, Studies on Homer and the Homeric Age I. p. 158.

[2]) l. c. I. p. 176.

nae (Il. XXI. 189, Apollod. III. 12. 6). Insignis erat sapientia iustitia pietate ita ut eo regnante Myrmidonum gens beatissimam ageret vitam et Aeacus ipse post mortem apud inferos iudex animarum defunctarum fieret, quin etiam Plutonis claves teneret (cf. Apollod. l. c. Paus. II. 29. 2. et 7.).

Tenebimus igitur hoc, haud ita multo post Homericam aetatem exstitisse has de mortuorum iudicibus opiniones, quibuscum artissime cohaeret sententia, homines vita bene honesteque peracta alio melioreque versari loco, quam qui gravia peccata commisissent. Ut enim illos Graeci ad pulcherrimum celebratissimumque perventuros Elysium sic fore ut hi in tristia Tartara removerentur putabant.

§. 5.
De diis numinibusque, quae cum morte regnoque inferno rationem habent.

1. De Apolline et Artemide.

Varia et multa numina ad mortem regnumque infernum pertinere iam antiquitus Graecis observatum erat. Primum huc referendi sunt Apollo et Artemis, qui in Homericis carminibus persaepe auctores et subitae et mitioris cuiusdam mortis (Od. XV. 410) dicuntur. [1]) Quod de Apolline narratum invenimus Il. I. 50. XXIV. 737. Od. III. 279. VII. 64. XVII. 251. 494. Et Apollinis soror, Artemis eodem modo auctor mortis feminarum habebatur. Il. VI. 205. 428. Od. XI. 172. 324. XV. 478. Falso autem alii his locis, quos commemoravi, sagittas, quibus Apollo in interficiendis hominibus utitur, a poeta radios solis dici volunt, quam allegoricam interpretationem iam multi viri docti protulerunt [2]). Neque semper

[1]) Cf. Gladstone l. c. II. p. 102.

[2]) Cf. Leo Meyer, Bemerkungen z. ält. Gesch. d. gr. Myth. p. 26.

his locis mortem radiis solis ardentis adduci potuisse apparet, neque omnino hoc unquam apud Homerum relatum legimus. Nam Homerica aetate omnes dii humana specie induti apparent, ita ut priorem eorum vim iam cum natura artissime coniunctam nusquam certo intellegere possis.

2. De *Κήρ* et *Μοῖρα*.

Nomen *Κήρ* et quod ad huius deae naturam et ad vocis formam attinet recte mihi Leo Meyer [1]) cum indico vocabulo Kâla, deo quodam inferno comparare videtur. *Κήρ* est distincta mortis species singulorum hominum [2]), cui oppositus est *θάνατος ὁμοίϊος* (Od. III. 236). Inde plurali forma *Κῆρες* sunt deae quaedam mortis, ita tamen ut proprie varia illa mortis genera significare videantur. Adsunt *Κῆρες* quum homines morituri sint (Il. IX. 411. XII. 326. XVI. 687. XXIII. 78), itaque *Κῆρες* (*Κήρ*) *θανάτοιο* dei mortis administrae apparent, quae mortuos in eius regnum ferunt (Il. II. 302. XVIII. 535 sqq. Od. XIV. 207 sq. Hesiod. scut. Her. 248 sqq.). Quare quum imprimis mortem cruentam, cui in pugna viri succumbunt, afferre putarentur, comparandae sunt illis mortis deabus quae in Germanica antiqua mythologia Valkyren dicuntur. Cognata autem *Κήρ* est *Θανάτῳ* (cf. Hes. theog. 201—3), quare etiam Homerus haec nomina coniuncta profert et promiscue usurpare solet. Huc pertinent variae locutiones saepenumero repetitae.

Κῆρα μέλαιναν ἀλεύατο (*ὑπέκφυγε*),
φόνον καὶ Κῆρα φέροντες, *Κῆρ' ἀλεείνων*.

Inde efficitur, ut *Κήρ* sit dea fato cognata atque idcirco cum alia quadam coniuncta et mortis et fati dea, cui nomen *Μοῖρα* est.

[1]) Cf. Kuhn, Ztschr. V. p. 375.
[2]) Cf. Furtwängler, Idee des Todes p. 43. Freiburg 1855.

Variarum huius vocis significationum quae in Homericis carminibus nobis occurrunt, ea imprimis commemoranda est, qua mors significatur. De qua re collegas locos: Il. XII. 116: *Μοῖρα δυςώνυμος ἀμφεκάλυψεν* cf. Od. XI. 560, *θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή* (Il. V. 83. XVI. 334. cf. XVII. 477. XXII. 436) alios multosque, quibus cognomina quae constantia ac stabilia sunt *κραταιή*, *κακή*, *ὀλοή* satis demonstrant, quam artam coniunctionem haec dea ex Graecorum sententia cum morte habuerit. Ita fit ut *Μοῖρα* sit mortis dea ut *Κήρ* et mortis dei administra, quare etiam *Μοῖραι* (Il. XXIV. 49) filiae noctis putabantur (Hes. theog. 217) eaedemque fatales erant.

Denique hic non praeterundus esse videtur *Θάνατος* qui et apud Homerum et apud Hesiodum saepius deus humana specie indutus est. *Θάνατος* est frater *Ὕπνου* et filius *Νυκτός* (Il. XIV. 231. XVI. 454. 672), cf. Hes. th. 212. 785, qui narrat, ambo cum matre nocte in subterraneis tenebris habitare. Et *Ὕπνος* quidem mitis hominum amicus super terras mariaque volat, at frater eius est crudelis atque implacabilis. Quamquam hae tristes de morte notiones postero tempore mutari magisque mitigari solebant, ita ut duo fratres saepissime et plerumque coniunctos apud poetas commemoratos deprehendamus. Ita Homerus iam de mortuo Iphidamante dicit:

ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον (Il. XI. 241), quocum loco conferas Od. XIII. 80. *ὕπνος… ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς*.

3. De Mercurio.

Ἑρμείας apud Homerum imprimis Jovis est nuntius, quo summus deus ad difficillimam quamque rem perficiendam utitur. Comitatur homines ita ut hi videri nequeant (Il. XXIV. 337), gestat in pugna cum Gigantibus facta (Apollod. I. 6. 2) *Ἄϊδος κυνέην* (Il. V. 845),

quae ut supra ostendi, proprie et genuine signum noctis mortisque est. Eum una cum Minerva Herculem in Orcum duxisse Od. XI. 626 narratur. Quibus rebus apparet Mercurii naturam ad deos et superos et inferos pertinere, id quod hymnus in Merc. v. 572 testatur:

οἶον δ' εἰς 'Αΐδην τετελεσμένον ἄγγελον εἶναι.

Quam huius dei naturam aliis quoque rebus demonstratam videmus. Imprimis huc pertinet, quod Mercurius dominus somniorum habitus est, quae somnia semper cum nocte morteque aliquo modo cohaerent. Somno Argum, custodias Graecorum opprimit (Il. XXIV. 343 sqq. 445), et quum somnia mittat dicitur ἡγήτωρ ὀνείρων (hymn. v. 14) vel ὀνειροπομπός (cf. Eustath. ad Hom. p. 1574, 36). Itaque etiam somniorum deus ab hominibus colebatur (cf. Od. VII. 137. Apoll. Rh. IV. 1732) [1].

Unde factum est, ut Ἑρμῆς iam inde ab Homerica aetate e vulgari sententia ψυχοπομπός haberetur, qui animas defunctorum in regnum infernum deduceret. Cuius notionis initia iam in ea carminum epicorum parte, quae vulgo et optimo iure recentiore aetate orta posteaque addita esse putatur, inveniuntur cf. Od. XXIV. init. Gestat autem Mercurius ob hanc rem signum huius naturae, ῥάβδον, τῇτ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει (Od. V. 47. Il. XXIV. 343), quo baculo in animis mortuorum coercendis utitur (Od. XXIV. init. cf. Hor. Carm. I. 10. 18. Verg. Aen. IV. 242). Inde vocatur χρυσόῤῥαπις (Od. II. 87. X. 277. 331 hymn. 539). Qua virga quum Minerva quoque ad permutandum Ulixem utatur (Od. XIII. 429. XVI. 172. 456) et Circe (Od. X. 293. 319) virgula divina quadam natura esse videtur.

---

[1]) Cf. Preller griech. Myth. I. p. 255.

§. 6.
De funeribus veterum Graecorum.

Ex antiquissima Graecorum opinione, animam mortui in regno inferno nequaquam omnino vitae prioris rationum et eorum, qui in vita cari fuissent, oblivisci, factum est, ut superstites et animae defunctorum vinculo quodam pietatis semper inter se coniuncti essent. Quam pietatem primum magna illa cura testatur, qua vivi funera instituere solebant; nam sepultura rite peracta et summus honor mortui eademque solatium relictorum propinquorum est (Od. I. 236). Huc multae elocutiones pertinent, quibus extremi honores appetuntur, atque res summi momenti esse apparet iusta facere — κτέρεα κτερεΐζειν, Od. I. 219. II. 222. cf. Il. XI. 455. XVIII. 334. XXII. 335, sicut is summa ignominia afficitur, qui honorem iusti funeris non nanciscitur. Il. XVII. 271. 558 XVIII. 178. XIX. 25. 31. XXII. 335.

Mortui quidem Homerica aetate plerumque igni cremari solebant cf. Il. I. 52. VII. 79 sq. 377. 408. XXIII. 165. Od. XII. 13, sed tamen verba ταρχύνειν (Il. VII. 85. XVI. 674), θάπτειν ὑπὸ χθονός (Od. XI. 52) demonstrare videntur Graecis antiquissimis temporibus morem sepeliendorum mortuorum non iam fuisse ignotum, praesertim quum corpore cremato ossa colligerentur collectaque terra conderentur (Il. XXI. 320).

Dum corpus flammis consumitur, in animae honorem vinum libatur animaque mortui advocari videtur (Il. XXIII. 220. 221. cf. Od. IX. 65). In sepulcro tumulus exstruebatur, qui dicitur τύμβος (Il. VII. 336. 435. Od. IV. 584. XI. 77) vel σῆμα (Il. VI. 419. VII. 86. XXIII. 257. Od. I. 291), in eoque columna — στήλη collocari solebat (Il. XI. 371. XVI. 457. 675. Od. XII. 14) ad memoriam defuncti posteris servandam (Il. VII. 87 sqq. Od. XI. 76). Hoc tumulo reliquiae corporis cremati collec-

tae atque adipe et pretiosis vestibus involutae conduntur (Il. XXIII. 91. 252. XXIV. 793 sqq.).

Quae cum iusta fierent luctus planctusque eorum, qui superstites mortuoque cognati et propinqui erant, honor praecipuus mortuorum habebatur qui pertinet ad γέρας θανόντων (Od. IV. 195 sqq. XXIII. 9. cf. Il. XXII. 386. XXIII. 9—16. 153. 224. 252. XXIV. 664. 720. Od. III. 260. XII. 309).

Quamquam igitur caerimonias in instituendis funeribus officiisque mortuo praestandis paucos admodum apud Homerum reperimus, initia tamen multorum variorumque rituum, quos posteriore tempore Graeci observabant, occurrunt. Uxoris enim esse mortui mariti oculos claudere ex iis carminum partibus, quae postea ad primigeniam Odysseae formam additae sunt, cognoscitur cf. Od. XI. 425. XXIV. 296. Lugentes amici crines tondebant, detonsisque mortuum opperiebant (Il. XXIII. 135), et Achilles crines detonsos in manum Patrocli dat (ib. 192). Ita quoque Patroclus mortuus in Achillis tentorio iacet ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος (Il. XIX. 212), quo ut corpus mortuum conversum esset, postea Graeci semper diligentissime curare solebant. Praeterea iam Homerica aetate vulgaris consuetudo erat corpora lavare et ungere (cf. Il. XVI. 670. XVIII. 350).

Funere peracto caerimoniisque rite observatis epulum funebre instituebatur (cf. Il. XXIII. 29. XXIV. 665. 802), nam: γαστέρι δ' οὔπως ἔστι νέκυν πενθῆσαι Ἀχαιούς (Il. XIX. 225) cf. XXIV. 601 sqq. Et in funere quidem Patrocli, quem amicum Achilles eximiis affecit honoribus, etiam ludi funebres aliique honores describuntur.

Quibus ex rebus apparet, quanta sanctimonia Graeci vetustiores mortuos honoraverint. Etiam Niobes liberi, quos dii ira incensi trucidaverant, decimo die a diis conditi sunt (cf. Il. XXIV. 612). Et in Il. VII. 334 legi-

mus, cyathos aureos eorum, qui procul a patria mortui erant, ossibus refertos domum ad liberos reportari Graecis usitatum fuisse. Denique huc pertinet locus Od. XXII, 411, quo praecipi videmus, ne quis de morte eius, qui aliquid commiserit, exsultet.

§. 7.

De sacrificiis in honorem mortuorum institutis.

Quamquam Graeci Homerica aetate cum vita omnia sibi erepta lugebant, tamen exstant carminum epicorum loci, quibus patet, opinionem fuisse antiquissimam mortuos dignos esse, qui a superstitibus honoribus afficerentur. Quae opinio si non distincte et aperte proponitur, tamen in Homericis carminibus fundamentum quasi et principium inesse apparet illius uberioris mortuorum cultus qui posteriore aetate e multis variisque sacrificiis, epulis ludis funebribus aliis honoribus constabat et semper summi momenti gravissimaque religionis pars habebatur.

Itaque vestigia huius cultus Il. XXIII. 228 sqq. inveniuntur, ubi Achilles per totam noctem Patroclo mortuo vinum libare animamque amici defuncti invocare dicitur. Et Ulixes quidem ut in Orco cum animis colloquatur necesse est mortuis potum e melle et lacte commixtum — μελίκρητον libet et voveat, se inferis, quum domum reverterit, sterilem vaccam atque Tiresiae nigram ovem immolaturum esse (cf. Od. X. 517—530. XI. 23 sqq.). Imprimis vero haec sacrificia, quibus animae defunctorum ab inferis excitantur, ut hominibus ignotas res aperiant, ad Odysseam respiciunt. Nam Circe dea Ulixi eiusque sociis praecepit (cf. Od. X. 492), ut in regnum infernum descenderent:

ψυχῇ χρησομένους Θηβαίου Τειρεσίαο

quod quomodo factum sit in Odysseae parte, quae νε-

κυῖα dicitur uberius enarratum est. Sic postea quoque semper summi momenti erant oracula, quae νεκρομαντεῖα vel ψυχομαντεῖα dicta in terrae faucibus aliisque locis edebantur. Quibus quum locis introitus in regnum infernum esse putaretur sacrificiis et precibus animae defunctorum invocabantur ut petentibus res ignotas nuntiarent. Erat enim opinio, vitam post mortem esse quodammodo perfectiorem quam in hac terra, animasque maiorem humana scientiam habere.

In omnibus his sacrificiis instituendis animalia immolari solebant, eorumque sanguis in scrobem infundebatur (Od. XI. 25), qui scrobis inferis altarium loco erat (cf. Apoll. Rhod. Arg. III. 1032).

Itaque iam a prima Graecorum aetate consuetudo sacrificiorum ad placandos et deos inferos et mortuos ipsos instituendorum repetenda est. Progredienti autem tempore Graeci omnes defunctos eodem modo atque heroes colere atque divinis honoribus prosequi solebant.

II.

Et hactenus quidem de Homero. Transeo iam ad Homericas opiniones cum ceterarum nationum indo-europaearum antiquissimis sententiis comparandas, quae ad eandem mythologiae partem spectant. Omnium autem harum nationum quum longe antiquissima Indi sint, prius mythologiam eorum aliquanto accuratius exponere in animo est.

Quaestionem igitur de antiquissima sententia, qua homines primi mortem vitamque futuram sibi excogitaverint quum instituturi simus naturae consentaneum videtur, ab Indis disputationem exordiri, quum inter omnes constet, sacros Indorum libros, qui Veda dicuntur, iam multo ante Homericam aetatem ortos adeoque omnino antiquissima literarum monumenta esse. Attamen Grae-

corum notiones primum investigari volui propterea quod Homerica carmina has distinctas easdemque satis accurate copioseque propositas nobis praebent, Indorum vero antiquitas, praesertim quod ad Vedas pertinet, nondum satis explorata est. Inde quum efficiatur, ut de rebus, quas hic perscrutamur, copiosa disputatio institui nequeat, tamen si summam rei inspicias, facile erit intellectu, in hac quoque religionis et mythologiae parte omnium veterum opiniones summam prae se ferre similitudinem. Nam industria ac labore multorum virorum qui summo ingenio summaque eruditione praediti his novissimis decenniis ad studium sanscritarum literarum incubuerunt, factum est, ut etiam his rebus quae ad rationem inter homines deosque pertinent, magna lux allata sit. Quare iam nunc patet, hos viros non erravisse, quum censerent [1]), Vedis exploratis fore ut multae res, quae ad cultum deorum et mythologiam aliarum nationum spectarent, multo accuratius perspicerentur.

§. 1.

De vitae defunctorum condicione.

Indi ut omnes gentes prima aetate singulari cum amore vitam amplectebantur eamque quam diutissime in augusta pulchraque patria sibi servatam volebant. Sed a metu atque terrore mortis longe alieni erant. Nam animas immortales esse et post mortem alteram adeoque beatissimam vitam degere iam ab initio iis observatum fuit. Quo factum est ut Indi mortuos, quos pitaras (patres) nominabant, genios benevolos esse putarent semperque artissime cum iis coniuncti permanerent.

Ac primum quidem quod attinet ad naturam animi

[1]) Cf. R. Roth in Zeller: theolog. Jahrb. V. p. 351. A. Weber Academ. Vorles. p. 35.

mortui, Indi ut Graeci animam quum de corpore decessisset aeriam fieri putabant, cf. Mahîdhara comment. ad Vâj. S. 19. 49 (et 60): vâtâtmâno vâtarûpam prâptâs[1]) h. e. animae efflatae venti formam nactae. Eandem notionem nobis ostendit nomen marut (ventus) quod eos qui mortui sunt significat[2]). Cum hac opinione, animas efflatas venti alis, ipsas in venti formam permutatas abire, coniuncta esse et cohaerere videtur illa posterioris aetatis, sensus morientium in ignem solem lunem ventum vel coeli regiones dissolvi (Çatap. X. 3. 3. 8). Sunt etiam beati homines solis radii (ib I. 9. 3. 10), et stellae sunt lumina priorum hominum qui ad coelum profecti sunt (ib. VI. 5. 4. 8)[3]).

Usitatissima et vulgaris erat opinio animam augustiore, divina quadam specie post mortem ornatam laetissimam beatissimamque vitam agere in societate Yamae, qui mortis deus habebatur. Quae sententia in multis Ṛigvedae hymnis nobis occurrit conf. X. 15. 1. sqq. Quare superstites mortuum prosequebantur verbis, quibus precabantur, ut perveniret ad patres, ad Yamam in summum coelum pulchra instructus forma quum omne imperfectum exuisset (X. 14. 8: saṃ gachasva pitṛibhiḥ saṃ yameneshṭâpûrtena parame vyoman hitvâyâvadyam punar astam ehi saṃ gachasva tanvâ suvarcâḥ)[4]).

Ibi patres bene beateque viventes semper vinculo artissimo cum vivis propinquis atque amicis coniuncti esse putabantur. Laborantibus opitulantur, pios tuentur (X. 15. 5), divitias impertiunt (ib. 11.), sunt comites administrique deorum (VII. 76. 4. X. 68. 11).

Quare quum patres hac ratione divina quadam na-

---

[1]) Cf. Weber, Ind. Stud. II. p. 229.
[2]) Kuhn Ztschr. IV. p. 102 sqq.
[3]) Weber Ztschr. der morgenl. Gesellsch. IX. p. 237 sqq.
[4]) Cf. Roth Ztschr. der morgenl. Gesellsch. IV. p. 428.

tura ornati essent, in numerum deorum minorum referendi sunt, quorum in comitatu summi dii apparent, Marutum Rudrae Ṛibhuum. Hi omnes inter se cognati sunt et antea mortales fuisse, deinde vero ob merita in deorum societatem recepti esse dicuntur[1]). Quam ob rem patres etiam apud Yamam habitant, mitem dominum animarum defunctarum in medio coelo (cf. Ṛigv. X. 14. 8.).

Yama autem mortis deus mortuorumque dominus in numero illorum deorum habendus est, quos paucos admodum in Vedis invenimus humana specie indutos, quum plerique merae naturae vires, non autem personae appareant. Pater eius est Vivasvat (Ṛigv. X. 14. 1), qui apud Iranios Vîvanghat vocatur ibique pater Yimae est. Unam autem eandemque fuisse de Yama et Yima, qui postero tempore apud Iranios Dschemschîd dicebatur, fabulam iam summorum virorum auctoritate satis constat[2]).

Apud Iranios enim Yima si vetustissimam fabulae formam sequamur, est is, qui primus agriculturam homines vitaeque cultum docuerit. Itaque bonus congregator dicitur, qui homines donis suis beatos reddiderit et luce sua terrae partes impleverit[3]) Sic Yima, administer ut ex Zend-Avesta intelligetur, dei Ahura-Mazdae, antiquissimo tempore moderator apparet mundi et rex hominum beatorum aurea illa aetate, quam variis multisque simulacris in omnium nationum literarum monumentis exornatam videmus.

Sed tamen hae de Yima notiones recentiores sunt, quam quae in Vedis de Yama reperiuntur. Ibi Yama primus homo dicitur, primus pervenit ad inferos[4]), quo-

[1]) Cf. Kuhn Ztschr. IV. p. 102 sqq.
[2]) cf. Roth, die Sage von Dschemschîd in Ztschr. der morgenl. Gesellsch. IV. p. 417—433.
[3]) cf. Haug, Abhandl. für d. Kunde d. Morgenl. I, p. 15. 8.
[4]) cf. Kuhn Zeitschr. IV. p. 76.

rum princeps est, vocatur congregator (X. 14. 1.: pareyivâṅsam pravato mahîr anu bahubhyaḥ panthâm anupaspaçânam vaivasvataṃ saṃgamanaṃ janânâṃ yamaṃ rajânaṃ havishâ duvasya).

Nam quum Indi magis quam aliae nationes, quas Arios appellare consuevimus, hanc vitam terrestrem fragilem fluxamque esse cognoscerent, factum est, ut vitam post mortem sibi excogitarent sperarentque beatissimam. Yamam igitur deum in vita futura regnare atque versari firma tenebant fide, quum quidem Iranii Yimam aurea aetate iam dudum praeterita in hac terra moderatorem atque regem hominum illo tempore beatissime viventium putarent. Sed quum Yama et Yima ab eodem patre orti sint, primi sint homines, eos congregare atque inter beatissimos vitam laetam agere dicantur, non est, quod dubitemus, quin de iis una eademque fabula exstiterit.

Itaque Yama, cuius soror Yamî eandem habet vim ac naturam in vetustissimis fabulis, quae Ariis communes erant, primus homo est et post mortem pater (Ṛigv. X. 135. 1) atque princeps patrum beatorum, eorumque mitis rex in coelo, ubi patres una cum eo epulari solent (X. 14. 10)[1]. Idem in summorum deorum sede ac societate versari putatur ubi patribus sedem luce tenebris aquis exornatum praebet. cf. X. 14. 9: apeta vîta vi ca sarpatâto 'smâ etam pitaro lokam akran ahobhir adbhir aktubhir vyaktaṃ yamo dadâty avasânam asmai.

Frater Yamae est Manu qui Indis antiquissimae aetatis rex erat, qui hominibus leges omnemque vitae ac victus cultum instituisse putatur. Postea vero, ut Weber[2]) censet, hae de Manu notiones ad fratrem Ya-

---

¹) athâ pitṛînt suvidatrâñ upehi yamena ye sadhamâdam madanti.

²) cf Ind. St. I. p. 194.

mam transierunt Quare tenebimus hoc, has de Yama et Manu fabulas artissime inter se cohaerere, quapropter Rothio (l. c. p. 430) hae de Manu opiniones alia quaedam eademque uberior forma eiusdem fabulae sunt.

Quamquam igitur haec notio de beatissimo patrum regno pervagata vulgarisque fuisse apparet, tamen Indorum etiam de hac re sententias in diversas partes abiisse par est. Sic popularis erat opinio, animas patrum vitam degere ei simillimam, quam Graeci in Plutonis regno in somnio quodam agunt. Legimus enim in Kâṭh. Upan. 6. 5: yathâ svapne tathâ pitṛiloke, h. e. ut in somnio (aut somno, quoniam radix svap et somniare et dormire significat), sicut in patrum mundo. Eandem sententiam commemoratam videmus in Çatap. Brâhm. XII. 9. 2. 2 [1]).

Regnum autem Yamae antiquissima aetate non tam multis simulacris quam regnum infernum apud alias nationes, praecipue apud Graecos instructum est. Imprimis vero huc referendi sunt canes duo, qui in Vedica mythologia ministri Yamae saepius occurrunt. Hi canes, quorum uterque quatuor oculos habet, custodes Yamae eiusque angeli (Yamasya dûtau) sunt. Dicuntur Sârameyau, h. e. filii Saramae, quorum unum Kuhn [2]) deum somni, alterum vero mortis esse putat. Saramâ (quod nomen a radice sar, sṛi, ire derivandum est), canis deorum dicta proprie significatio venti est. Nomen autem Sârameyas perspicue Kuhn (l. c.) probavit idem esse atque Ἑρμείας, qui ut supra ostendi somnia mittit et animas in regnum infernum ducit.

Qui canes quum in Vedis nominati sint çabalau, argumento firmo atque certo demonstravit Weber[3]), no-

---

¹) cf. Weber Ind. Stud. II. p. 206.

²) cf. Haupt Zeitschr. f. d. Alterth. VI. p. 125 sqq.

³) cf. Ind. St. II. p. 297. 298.

men çabala idem esse atque Graecorum Κέρβερος. Nam çabala sive çavara, quae forma nonnusquam deprehenditur, priore tempore çarvara vel çarbara erat, et ab Indicis interpretibus voce karbura h. e. coloris maculosi explicatur (cf. Mahîdhara ad Vâj. S. XXIV. 10. XXX. 20). Itaque ut vocabula çabala et Κέρβερος eadem sunt, sic eadem iis significatio subest. Horum canum non quidem munus quod Cerberi est, prohibere, quominus mortui ex Orco effugiant, quum Yama invocetur ut eos canibus custodiendos tradat, sed tamen in universum unum idemque Indis et Graecis observatum fuisse haud quemquam effugere potest. Quare res non gravis esse momenti videtur, quod notionem invenimus, hos canes exire ut homines peterent, quos naturae debitum reddere opus erat; sed eiusmodi repugnantiae in his rebus consentaneae sunt ob eamque rem ubique deprehenduntur.

Eodem pertinet quod Yama ipse eos, qui bene vixerint, baculo instructus in suum regnum ducit (Mahâbh. III. 16754). Alia porro antiqua Indorum de regno inferno opinio ad Graecos spectat. Nam in carminibus epicis saepissime flumen commemoratur, cui nomen est Vaitaraṇî [1]). In eius fluctibus animae malorum pereunt, quum patres in alteram ripam perveniant ibique beatam vitam agant. Quod ad mythologiam iam multo aliter formatam spectat, quum opiniones de Yama eiusque regno, quo tempore carmina epica florebant, a prioribus de hac re pervulgatis alienae essent. Tunc enim Yama in numero septem summorum deorum, qui mundi custodes habebantur, erat in terrae faucibus atque regione meridionali, ubi regnum infernum esse putabatur. Non est iam mitis ille mortuorum rex, sed severus dominus et una cum coniuge Yamî eorum iudex, qui crudeli specie indutus in terra apparet ut ipse homines ad mor-

[1]) cf. Kuhn Zeitschr. II. p. 316.

tem postulet. Fingebatur vir forma niger, flavis oculis praeditus, baculum manu tenens [1]).

Itaque homines qui male vixerint in ardentibus fluctibus fluminis Vaitaraṇî pereunt et in Yamae regnum, quod infra flumen situm est, descendunt. Ibi varia animalia, canes, aves rapidae, praecipue lupi sunt [2]). Regnum autem infernum et in regione meridionali et locis tenebrosis atque in terrae faucibus esse firma semper fide Indi tenebant. Sic etiam posteriore tempore ii mortui, qui nondum quietem nacti erant ob eamque rem: preta dicebantur, noctu locis ubi mortui sepeliri solebant, spectra versari existimabantur. Horum quoque rex Yama erat, indeque ei cognomen pretarâjan tribuebatur [3]). Apparet igitur apud Indos aeque atque apud omnes fere nationes primas de morte vitaque futura notiones progredienti tempore omnino in deterius conversas esse.

§. 2.

De poenis ac praemiis futuris.

Antiquissimis temporibus Indis observatum fuisse videtur, vitam immortalem in sede beatorum esse mercedem virtutis vel sapientiae, insipientes contra et stultos vita amissa evanescere. Sed iam in iis Vedicis libris, qui nomine Brâhmaṇa comprehenduntur haec vetustissima opinio valde permutata est. Notionem enim iam excultam invenimus, animas renasci in vita futura, in qua optimus quisque praemiis, malus poenis afficiatur. Et locupletissimum quidem poenarum testimonium invenimus in libro undecimo Çatapatha-Brâhmaṇa, adhyâya 6. brâhmaṇa 1, quem locum Weber [4]) exhibuit. Hoc

[1]) cf. Weber, Zeitschr. d. morg. Ges. IX. p. 243.
[2]) Ind. St. I. p. 399. 413.
[3]) cf. Wollheim da Fonseca. Mythol. des alten Ind. p. 139.
[4]) cf. Zeitschr. d. morgenl. Ges. IX. p. 237—244.

loco uberius exponitur eos, qui male in hac terra vixerint eodem modo et ex iisdem membris quibus peccaverint, post mortem in regno inferno laborare. Varuṇae enim filius, Bhṛigu, quum arroganter in patrem egisset, ab eo punitur et ob arrogantiam mittitur, ut poenas varias, quibus mortui afficiantur, cognoscat. Spectat hoc ad Graecorum fabulam, ex qua Φλεγύας et Φλεγύαι propter arrogantiam gravissimas apud inferos poenas dare putabantur, et recte mihi Weber censere videtur, has Indorum et Graecorum fabulas inter se coniunctas esse atque priore harum nationum aetate unam eandemque fuisse, quamvis singulae res non iam accurate diiudicari possint. Nam Bhṛigu nomen idem ac φλεγυ est et radix sanscrita bhṛij (gr. φελγ, φλεγ) significat frigere, torrere. Haec autem opinio, animas defunctorum in regno inferno premi et laborare aestu, haud aliena esse videtur ab harum nationum condicione, quae vel maxime sole ardenti aegrotare solent. Imprimis vero ad poenas post mortem dandas Indorum sententia posteriore aetate pervagata pertinet, animas post mortem ab aliis transire ad alios et in aliis deinde corporibus tam diu renasci et renovari, quoad puri et boni essent itaque in summum Brahmanis mundum reciperentur. Qui bonam in hac terra vitam degissent, feliciores renascebantur, contra qui malam poenas gravissimas apud inferos passi denuo humiliores homines, quin etiam animalium corporibus praediti in hanc terram redibant, atque tam diu hac in vitae condicione vivere coacti erant, quoad qui purgati perfectique in Brahmanis societatem pervenirent, digni putarentur [1]).

Si quis integra vita peracta mortuus esset, purus spiritus ad deorum, spirituum lucis consortium proficisci poterat. Quare in primo libro Kaushîtaki-Upanishadis

[1]) cf. Duncer Gesch. d. Alterth. II. 2. Aufl. p. 74 sq.

legimus: omnes qui decedunt ex hoc mundo, ad lunam perveniunt; a luna deinde per varios mundos in mundum Brahmanis dei perveniunt [1]); ibi animae a Brahmanis ancillis, quae Apsarases dicuntur, excipiuntur et ad solium dei ducuntur.

Neque hic praetereundae esse videntur Iraniorum pervulgatae uberioresque in sacris scriptis propositae de mortuorum iudicio opiniones, quod iudicium ad pontem Cinvat dictum erat. Inde boni in praeclarissimam sedem proficiscuntur, mali contra pontem transgredi non possunt itaque in Tartara removentur [2]).

§. 3.
De funeribus.

Magnam lucem ad explorandas Indorum antiquissimas de vita futura sententias ritus afferunt, qui iis in funeribus observati erant. Et primum quod attinet ad genus sepeliendi, satis constare videtur primis temporibus, ad quae Vedica religio spectat, Indorum consuetudinem fuisse, mortuorum corpora terra condere [3]). Quod luculente loci testantur Ṛigv. quidam, imprimis X. 18. 10, ubi terra invocatur ut mortuum benigne in gremium suum accipiat acceptumque foveat. Erat autem etiam antiquitus mos ille notus, mortuos flammis in rogo comburendi, quod posteriore tempore unicum sepulturae genus fuit. Remanebat tum autem e veterrima ratione consuetudo, quum mortuus flammis consumptus esset, ossa colligendi terraque componendi.

Propinqui et amici imprimis vero mariti defuncti uxor loco praesentes sunt, quo corpus terrae traditur.

[1]) cf. Weber Ind. Stud. I. p. 397.
[2]) cf. Spiegel, Avesta übers. II. p. 15.
[3]) cf. Roth, die Todtenbest. im ind. Alterth. in Zeitschr. d. morg. Ges. VIII. p. 467 sqq.

Adest et sacerdos, quum Indi praecipue in funeribus multas caerimonias variaque sacrificia diligentissime observarent. Atque haec sane memorabilis esse videtur consuetudo, ex qua viduam admonebant, ut a corpore coniugis decederet, quum iam vinculum, quo maritus et uxor coniuncti fuissent, dissolutum esset [1]). Hinc autem intellegitur non iam antiquitus Indorum fuisse morem et legem, ut viduae una cum maritis flammis cremarentur. Spectat enim haec consuetudo ad aetatem Vedica multo posteriorem [2]).

Corpus mortuum quum terrae mandant, votis prosequuntur quibus terra invocatur, ut benigne mortuum recipiat (Ṛigv. X. 18. 10) et Yama deus, ut animae defuncti coelestem sedem impertiat [3]).

Posteriore igitur Indorum antiquitate omnes ritus sepulcrales ex combustione corporis, ossilegio atque lustratione constabant, ita ut Indis idem fere de his rebus atque Graecis et Romanis observatum fuissc appareat. Imprimis autem si quis lustrationis, quae apud Indos ab ultima aetate multas caerimonias variaque sacrificia continebat, singulas partes accuratius perscrutari velit, exstant multi libri, in quibus de his rebus uberrime disseritur [4]).

Multis etiam locis in veterum Graecorum et Romanorum scriptorum libris varios ritus relatos legimus, quos Indi in funeribus instituendis habebant. Patet omnino ex iis quae hi scriptores tradiderunt, Indos simplici modo sine pompa mortuorum corpora componenda curavisse. Etenim mortuis non tumulos instituere solebant, quamquam nonnullis locis iis parvos fuisse reperi-

---

[1]) cf. Roth l. c. p. 469.

[2]) Max Müller Comparative Mythology, Oxford Essays 1856 p. 22.

[3]) cf. Roth l. c. p. 470.

[4]) cf. M Müller Die Todtenbestatt. bei d. Brahmanen in Zeitschr. d. morg. Ges. IX. p. I—XXXVI.

mus (cf. Strab. p. 709, Arrian. Ind. X. 1., quibuscum locis cf. Manu III. 232 [5]).

Denique commemorandae sunt Iraniorum de mortuis opiniones quae adeo a ceterorum Ariorum abhorrent, ut tempore multo posteriore ortae esse videantur. Eorum enim libri sacri, Avesta, prohibent, quominus corpora defunctorum sepeliantur vel comburantur vel in aquam coniiciantur cf. Vend. I. 18. VI. 6. Collocari autem solebant mortui quibusdam locis, ut a bestiis lacerarentur, quo factum est, ut Iraniis haec loca terribilibus rebus repleta essent et in iis praecipue dii tenebrarum mortisque versari putarentur (cf. Herod. I. 140. III. 16. Strab. p. 735. Cic. Tusc. I. 45).

Nulla enim ratione se magis contaminari posse opinabantur quam quum in mortuorum societatem venissent, quare plurimas lustrationes Iranii semper summa cum diligentia ac religione observabant.

§. 4.

De cultu atque honore mortuorum.

Duodecimo die post alicuius mortem vacca immolari solebat, quo sacrificio peracto anima mortui ab hac vacca, cui nomen erat anustaraṇî, trans flumen Vaitaraṇî in patrum mundum duci putabatur. Ad quam opinionem spectat etiam morientium mos, caudam vaccae prehendere et similis alius ritus qui in sacrificio illo pitṛimedha dicto institutus erat, de quo cf. Kuhn Zeitschr. XV. p. 226.

Familiae porro et gentis antiquitus officium erat, mortuis patribus certis anni diebus, tempore potissimum novae lunae et die mortuorum natali sacrificia offerre [2]).

---

[1]) cf. Duncker Gesch. des Alterth. II. p. 288.

[2]) cf. Lassen Ind. Alt. I. p. 378. Duncker l. c. II. p. 73.

Quibus cum sacrificiis epula illa coniuncta erant, quae Romani silicernia dicebant. Ad haec enim animae maiorum invitabantur ut una cum vivis cibo fruerentur (cf. Manu III. 187—238). Et in funeribus et in his silicerniis erat Indorum consuetudo in honorem eorum cantare, qui de familia decesserant (Arrian. Ind. X. 1).

Quin etiam quotidie animis patrum aquam libare solebant; praecipue vero die mortui natali omnes propinqui conveniebant, ut animis defunctorum dona ac sacrificia offerrent.

Ab his epulis funebribus haud multum Iraniorum feriae mortuorum abhorrebant, quae his semper res gravissima summique momenti erant. Itaque posteriorem Graecorum morem heroes prioris aetatis post mortem divina veneratione prosequendi etiam apud Persas usitatum reperimus, qui viros bene de patria meritos summis et perpetuis post mortem honoribus dignos habebant [1]).

Hic igitur mortuorum cultus et ad prima Ariorum tempora spectat et ad posteriorem aetatem qua omnes defuncti singulari quodam honore colebantur. Patres in summorum deorum consortium perveniebant, administri et socii deorum erant, adeoque, qui homines fuerant, post mortem fieri putabantur dii. Qui dii quum primis temporibus ex Indorum sententia in aere, ventis atque tempestatibus versarentur, superstites semper cum iis coniunctos et a suis maioribus circumdatos sese existimabant.

III.

Indorum de morte vitaque futura sententiis expositis iam me converto ad reliquam disputationis partem,

[1]) cf. Rapp, die Religion und Sitte der Perser und übr. Iran. Zeitschr. d. morg. Ges. XIX. p. 68.

qua demonstraturus sum, nationibus indo-europaeis in universum easdem de his rebus ab initio opiniones fuisse. Sed satis fecisse mihi videor, si praestantissimis nationibus idem observatum fuisse demonstravero, Indis, Graecis, Romanis, Germanis omissa ceterarum quae huc pertinent religione. Etenim nihil attinet cunctas Romanorum et Graecorum de morte vitaque futura notiones proferre, id quod et alii atque multi uberius fecerunt et ad quaestionem quam institui diiudicandam opus non esse videtur. Nam quum nationes, de quibus hic agimus eandem habeant originem, fieri non potest quum e sedibus antea communibus alias petiturae discederent, quin quas de divinis humanisque rebus notiones secum tulerint in universum retinuerint, quamvis quaeque natio has ut par erat excoleret atque permutaret. Quare quaestionem ita instituam, ut, si summam rei spectas, unam eandemque apud diversas nationes sententiam aut aperte proferri aut, si minus, certo concludi posse demonstrem, deinde vero singulas et proprias res attingam, e quibus hoc perlucide apparet.

§. 1.
De animi humani post mortem natura.

Ac primum quod attinet ad animi humani post mortem naturam, iam supra cognovimus Indos pariter atque Graecos animam aeriam habuisse mortuorumque animas in aera recessuras putavisse. Neque aliter existimaverunt Romani et Germani. De Romanis igitur satis esse videtur dicere, quod Servius commemorat [1]): secundum eos, qui animam volunt esse ventum, ut IV. 705 ... atque in ventos vita recessit; et quod Varro dixit apud Augustinum [2]): a summo autem circuitu coeli usque ad

[1]) ad Verg. Aen. II. 562. [2]) de civit. dei VII. 6.

circulum lunae aethereas animas esse astra ac stellas easque coelestes deos non modo intellegi esse sed etiam videri; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aereas esse animas, sed eas omnino non oculis videri et vocari heroes et lares et genios.

Jam vero Germanorum in multis antiquis fabulis traditum legimus, animam hominis, qui vitam efflavisset, avem fieri itaque in aera abire [1]). Huc referenda est opinio illa antiquitus pervagata, oportere, quum quis mortuus esset, fenestras patefieri, ut anima evolaret, quae consuetudo usque ad hodiernum diem nonnullis patriae regionibus observatur [2]). Cui sententiae coniuncta et cognata est opinio illa popularis etiam nunc retenta, aves ferre animas, liberos dico, in qua opinione manifesta illius antiquissimae notionis vestigia inesse satis intellegitur. Inde igitur quum sequatur communis antiquissima sententia, hominis mortui animam aeriam esse atque in aera abire, maxime memorabilis opinio est, animas duci a canibus, qui iidem venti esse fingebantur. Quam opinionem, in Indorum fabulis copiosius enarratam, quamquam Graecos amplexos esse non traditum est, quippe quum *Ἑρμείας ψυχοπομπός* canis habitus esse non appareat, tamen canem aliquo modo ad mortem regnumque infernum pertinere, non ignotum iis erat, quum Hecatae deae canes immolarent (cf. Paus. III. 14. 9).

In nostra vero antiquitate eodem modo ac mortuorum comites apud Indos canes erant, ex antiquissima opinione canis animas ad sedem defunctorum ducit [3]). Eodem pertinet, quod comites dei Wuotan, agmen illud,

---

[1]) cf. Grimm, D. M.³ p. 788.
[2]) cf. J. W. Wolf, Beiträge z. deutsch. Myth. I. p. 214.
[3]) Kuhn u. Schwartz, Nordd. Sagen, Märch. u. Gebräuche p. XXI. Kuhn, Westfäl. Sagen I. 143. II. 51. 55.

quod dicimus: wütendes heer et: wilder jäger animae mortuorum in canes permutatae sunt [1]).

Itaque animi praecipue eorum qui male vixerunt, spectra apparent saepissime canis specie induta; et mortis deam Hel haud raro canes sequuntur, quorum latratus mortem postulat atque indicat.

Ad communem autem hanc antiquissimam de cane, qui est *ψυχοπομπός* notionem demonstrandam non alienum esse videtur docere quid Iraniis observatum fuerit. Nam hi vel maxime omnium canes colebant, quod iis praecipua quaedam funeribus peractis lustrandi vis inesset [2]). Atque quantopere Iraniorum sententia, canem flavum quatuor oculis praeditum viam, qua mortui elati essent, purgaturum esse, ad Indos spectet neminem effugere potest.

Anima hominis igitur immortalis corpore derelicto in aerias regiones evolat, ubi sedes deorum sunt. Et primis quidem hominibus ubique, ut mihi videtur, persuasum erat, defunctos in altiorem dignitatis gradum promoveri, ita ut quodammodo ad deorum coelestium consortium accederent. Nam vitam tantopere naturae consociatam degebant, ut et vivos persaepe in societate et consuetudine deorum, quos nondum humana specie indutos in rerum natura praesentes sibi fingebant, sese versari, atque post mortem, quam minime detestabilem habebant, iam artius cum iis semper coniunctos se putarent. Indorum quidem augustior haec patrum natura coniunctioque cum diis, quorum administri erant, supra exposita est. Eodem respicere mihi videtur pulchra venustaque Graecorum de Elysio narratio, cuius Homerus Od. IV. 560 sqq. mentionem facit et de insulis fortuna-

---

[1]) cf. Mannhardt Götterl. p. 108.
[2]) cf. Spiegel Avesta, übers. II. p. CXV. Duncker II. p. 568 — 570.

tis (μακάρων νῆσοι) quas Hesiodus commemorat (cf. Op. et D. 171). Praeclarissimam enim quandam pulcherrimamque animarum post mortem sedem apud omnes has nationes in universum eadem ratione excogitatam atque descriptam videmus, in qua mortui divina quasi natura ac dignitate praediti beatissimam vitam agunt et superstitum genii benevoli sunt.

Imprimis illud Romanorum uberiores demonstrant sententiae de Manibus, Laribus, Geniis, qui quum proprie et initio animas defunctorum significent, paulo accuratius de iis disputaturus sum. Et quod attinet ad vocem Manes, inest in ea bonitatis notio; nam manus idem significat ac bonus, ut Serv. ad V. A. multis locis testatur cf. I. 139: manum enim antiqui bonum dicebant, unde et mane dicitur cf. ad II. 268. III. 63. Hac autem cum nominis significatione optime congruit, quod Romani animas mortuorum Divos vel Dios Manes dicere consueverant (cf. Cic. de leg. II. 9. 22). Eandem et nominis et naturae notionem ostendunt Mania et Mana Geneta, Mater Matuta, saepissime Bona Dea vocata, in quarum dearum tutela et dominio Manes erant.

Similes Manibus Lares sunt animi defunctorum, quos Romani divinis honoribus prosequebantur. Hoc autem nomine, quod assumptum esse ab Etruscis, quorum lingua Lars praestitem significat, inter omnes constat, aptissime animi mortuorum appellantur, quippe quum Romani firmam semper tenerent fidem, eos humanas res curare vivisque quoquo modo opitulari. Sed quum Lares proprie ex animis maiorum facti benigni vitae privatae publicaeque haberentur daemones (Cic. in Timaeo c. II.), temporis decursu hoc nomen latius usurpabatur et multae de Laribus notiones invalescebant [1]). Quotquot au-

[1]) cf. Schoemann, Opusc. I. p. 360. De Diis Manibus, Laribus et Geniis.

tem Lares colebantur, pertinent ad deos illos qui dicuntur animales, qui ex animis humanis facti erant [1]).

Et Genius quidem, quod nomen a verbo gignere derivatur, proprie est genitalis, praecipue naturae humanae deus, qui ut Varro ait (ap. Aug. de civ. dei VII. 13) praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum. Sed tamen Genii cohaerent cum Manibus et Laribus, quare Servius ad A. III. 63: sunt etiam qui putent Manes eosdem esse quos vetustas Genios appellavit. cf. ad VI. 743. Itaque Genii ad genus illud pertinent deorum medioximorum [2]), quorum cultus ac veneratio praecipue apud Romanos latissime pervagata erant. Neque ab his, quas exposuimus opinionibus abhorret quod antiquissima aetate Germanis de mortuorum maiorum condicione observatum fuit. Nam quos Indi deos minores et genios putabant, Marutes Ṛibhues Rudrae, iidem apud Germanos inveniuntur et sunt quos dicimus, elbe zwerge riesen.

Imprimis vero qui dicuntur zwerge sunt proprie animae patrum mortuorum eadem ratione ac Indorum pitaras et Romanorum Manes. Nam eandem degunt vitam beatissimam et nomina eorum, quae saepissime deprehenduntur: aulken ölken ülken öllerken üllerken significant: nata maiores. Sunt autem genus praestantius quam hominum, quare hominibus periculis laboribusque oppressis opitulari putabantur [3]). His geniis ar-

[1]) cf. Serv. V. A. III. 168: Labeo in libris qui appellantur de diis animalibus ait esse quaedam sacra quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant.

[2]) cf. Serv. A. VIII. 275: Sunt etiam numina aliqua tantum coelestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos deos Apuleius de doctrin. Platon. Medioximos vocat, hoc est, qui ex hominibus dii fiunt et Varro dicit, deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios, qui immortales ex hominibus facti sunt.

[3]) cf. Kuhn Zeitschr. IV. p. 101 et in Hauptii Zeitschr. V. p. 488.

tissime cognati sunt qui dicuntur elbe (cf. Kuhn Nordd. Sagen p. 485) quod nomen ipsum plane idem ac ṛibhu esse recte Mannhardt censet. Nam et natura eorum eadem fere dicenda est, quum in nubibus tempestatibusque versentur comitesque sint dei Wuotan qui una cum agmine illo truci per aera fertur. Respicit autem hoc saevum agmen, quod inde ab initio usque ad novissima tempora in populari notione: wilde jagd retentum intellegimus, ad agmen ventosum deorum quorum comites, quae erat Indorum opinio, dii ex hominibus facti erant.

Quare ex his, quae exposui, efficitur, ut Indorum pitaras comparandi sint cum Manibus et Laribus, iisque genii quidam, quos antiquissima Germanorum religio amplectebatur similes sint. Quin etiam Germani antiquitus animas defunctorum in solis astrorumque luce versari et ipsa haec lucida sidera esse putabant[1]). Itaque communis erat primis temporibus sententia, mortuos ad deorum consortium augusta praeclaraque natura praeditos accedere, ita ut animae maiorum in mundi partes, quae elementa sunt abirent indeque ministri sociique summorum deorum res humanas curarent.

Ad hanc autem sententiam accedit alia quaedam, cuius origo ab antiquissima aetate repetenda est. Perveniunt enim ad amplissimam illam animarum defunctarum sedem pulcherrimamque vitam primi vetustissimi hominum reges atque civitatum conditores, ad quos posteri omnes leges atque instituta omnemque vitae cultum referre consueverant. Qui ut primi fuerant homines et reges, sic post mortem principes defunctorum posterioreque tempore eorum iudices habebantur. Indorum igitur de Yama eiusque frater Manu fabulas, quas explanavi, iam priusquam singulae nationes in sedes proprias immigravissent, his omnibus communes fuisse inde intelle-

[1]) Mannhardt, Germ. Mythen p. 728.

gitur, quod nomen ipsum Manu plurimae asservaverunt. Nam unum idemque esse nomen Manu, *Μίνως*, Manes (Divi Manes), Mannus (quem Tac. germ. 2. conditorem gentis dicit) iam diu inter viros doctos constat [1]). Et apud Phryges, quae natio indo-europaea habenda est, hoc nomen primi regis et conditoris est, ex quo apparet, etiam hos fabulam de Manu in suas sedes secum transtulisse [2]).

Haec igitur nomina sunt primorum regum, quibus regnantibus aurea aetas hominum erat. Itaque post mortem hi reges in eadem condicione vitae versantur, ut antiquissimo tempore una cum patribus defunctis laetam et beatam vitam agant iidemque mortuorum imperium obtineant. Imprimis vero huc spectant Romanorum de Manibus opiniones, quas veras atque genuinas eorum esse, nequaquam a Graecis aut aliunde receptas nisi e communi priore sententia retentas existimari velim.

Quae sententia in Homericis carminibus non plane prolata est; tamen e narratione de Elysio, in quo Rhadamanthus, frater Minois regnat, satis apparet. Accedunt autem ad eam vel maxime comprobandam quae Hesiodus de hominibus aureae argenteaeque aetatis tradit, quorum qui illa vixerunt post mortem *δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι* sunt

φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων
οἵ ῥα φυλασσουσίν τε δίκην καὶ σχέτλια ἔργα
ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν [3]),

qui hac, argentea aetate, vixerunt,

τοὶ μὲν ἐπιχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται
δεύτεροι ἀλλ' ἔμπης τιμὴ καὶ τοῖσιν ὀπηδεῖ [4]).

[1]) cf. Buttm. mythol. II. p. 232 sqq.
[2]) Lassen Ind. Alterth. I. p. 520.
[3]) Op. et D. 121 sqq.
[4]) l. c. 141 sq.

Atque haec non ex Hesiodi solius sententia dicta esse puto, sed poetam his locis tradidisse antiquissimas Graecorum opiniones, quarum memoria nondum obliterata erat, persuasum habeo.

§. 2.
De animarum defunctarum sede.

Hac cum natura animarum defunctarum variae incertaeque cohaerent opiniones de loco, quo praeclarissima illa patrum sedes fuerit. Atque antiquissima quidem aetate consentaneum erat, animas, quae in partes mundi, elementa abirent, in nubibus tempestatibusque omnino ut iam antea commemoravi, in aeriis regionibus suam sedem habere. Est autem haec sedes ab hominum mundo separata aquis nubium, et aptissime Weber [1]) latum illud flumen, quod animae a canibus ductae transgrediuntur, luftstrom dicit.

Hanc igitur nationibus indo-europaeis communem fuisse prima aetate sententiam satis patet. Eo referendum esse censeo, quod in Homericis carminibus de animarum sede trans Oceanum in extremo occidente, et apud Indos de Vaitaraṇî flumine relatum legimus. Quamquam enim haec fluminis commemoratio non in primis Vedarum hymnis exstat, tamen Indorum de his coelestibus aquis antiquissima opinio erat indeque praecipue intelligitur, quod Varuṇa (h. e. qui tegit, comprehendit, a radice var) proprie iis universi coeli idemque aquarum deus erat.

Atque Romanis idem observatum esse Servius testatur ad A. III. 63: nam Manibus plena sunt loca inter lunarem et terrenum circulum unde et defluunt. cf. Varro ap. Aug. de civ. dei VII. 6. Sed omnium vel

[1]) cf. Indische Skizzen p. 10.

maxime haud scio an nostri maiores hanc primigeniam notionem, animas ut in lucida sua regna perveniant, latas aquas transgredi oportere fere integram conservaverint [1]). Ipsa autem haec coelestis et beata sedes variis pulchrisque simulacris in antiquis nostris fabulis exornata est, quum saepenumero in mortuorum domicilio amoena prata et virentes horti esse dicantur. Atque his lucidis locis animi patrum, qui e vita decesserant, radiis solis astrorumque similes adeoque cum iis coniuncti sempiternam beatissimamque vitam peragere putabantur.

Sed quum animae in consortio propinquitateque essent deorum quorundam, qui non iisdem semper locis versabantur, non est quod nationes de animarum sede vagas et incertas occurrere miremur. Accedit quod praecipue posteriore tempore e Germanorum sententia genii, quorum propria natura ac vis cum elementis cohaeret, qui dicuntur elbe zwerge alii in terra quoque habitabant. Quo factum est, ut illi de sede aeria notioni saepe aliae quaedam admixtae sint, quas quidem posteriore aetate ortas et excultas esse puto.

Huc pertinet Romanorum opinio, animas maiorum, qui post vitam bene peractam beatiorem condicionem nacti essent, loca quaedam terrestria colere, id quod imprimis ad geniorum illud genus spectat, quod locorum erat (cf. Sers. A. V. 95). Quare Serv. ad A. I. 441 tradit: dicuntur enim heroum animae lucos tenere, et ad ecl. V. 40: heroum animae habitant vel in fontibus vel in nemoribus (cf. ad A. XI. 470). Eodem respicit quod veteribus Germanis persuasum erat, montes quoque domicilia animarum esse. Exstat igitur montis cuiusdam appellatio: nierenberg, untersberg, ad quem animae perveniunt via, quam dicunt: nierenberger pat. Haec ut

[1]) cf. Mannhardt Germ. Mythen p. 356.

Kuhn [1]) vult significatio est via lactis in coelo, qua coelum ex antiquissima Germanorum ac Indorum sententia cum terra coniunctum est. De qua re minus dubitandum esse videtur quum haec lactis via quoque helweg, hiëlweg in dialecto guestphalica nominetur. Quae quum via etiam kaupat, kuhpfad dicatur, non dubium est, quin hoc, utcunque erit, ad Indorum spectet opinionem, ex qua animae mortuorum a vacca quadam, anustaraṇî, flumen traducebantur [2]).

Apparet igitur ex iis, quae disserui, antiquissimas de mortuorum sede coelesti eorumque perpetua cum diis coniunctione opiniones temporis decursu aliquanto permutatas esse, ita ut animae patrum artiore quodam cum propinquis atque amicis vinculo coniunctae in terra ipsa putarentur domicilium habere. Postea vero vulgaris sententia invalescebat defunctos in ima terra versari. Nam et Romani firma fide tenebant, Manes apud deos inferos, qui terrae iidemque omnis fertilitatis dii colebantur, vivere [3]), et nostri maiores pro certo habebant, mortuos ad deam Hel proficisci, cuius pater Loki, ignis et mortis deus in ima terra habitat, ubi et ignes et sedes defunctorum sunt [4]).

Quare duplicem omnino fuisse omnibus de quibus hic agimus, nationibus de mortuorum sede sententiam statuimus, quarum altera, quae mortuos in elementis versantes facit multo prior est, altera vero, ex qua haec sedes in ima terra erat, exstitit quo tempore huiuscemodi opiniones, quoad fieri potuit, accuratius distingui coeptae sunt. Cohaerent autem quodammodo hae sententiae inter se eo quod animi mortuorum in aeriis regionibus iidemque in terra ipsa vivere putabantur.

[1]) cf. Kuhn Ztschr. II. p. 239.
[2]) cf. Kuhn Ztschr. II. 311 sqq.
[3]) cf. Plin. XXXIII. 1: imus in viscera terrae et in sede Manium opes quaerimus.
[4]) cf. Weinhold in Hauptii Zeitschr. VII. p. 28.

§. 3.

De Regno inferno.

De regno autem inferno opiniones, quas veteres amplectebantur quum conferas, neminem effugere potest, quantopere hae inter se cognatae sint. Qua in re diiudicanda quidem tenendum est, eiusmodi opiniones et ab humana natura originem repetere potuisse et saepe casu ac fortuito apud complures nationes exortas esse. Attamen si easdem rerum quarundam propriarum notiones adeoque significationes nominum apud diversas nationes usitatas intellexeris, iure contendere mihi videor, has nationes ab antiquissima aetate, qua nondum separatae erant, communes sententias conservavisse.

Ad hanc opinionum demonstrandam cognationem, primum pauca de diis inferis dicam.

Erant Romanorum dii inferi Orcus et Dis Pater, quorum unus Orcus (quod nomen idem atque graecum ἕρκος est et claustrum significat) is potissimum deus esse videtur, qui mortem modo cruentam modo mitiorem hominibus afferat, alter Dis Pater dominus ac princeps animarum putandus est, qui cum Proserpina eandem habet potestatem, quae Jovi et Junoni apud superos est [1]). Ut apud Graecos multae erant administrae comitesque principis inferorum, Ἐρινύες Κῆρες Μοῖραι sic apud Romanos quoque varia numina ad deos inferos regnumque infernum pertinent. Quae sunt deae quaedam, omnes variae formae et figurae unius eiusdemque Terrae Matris [2]), cuius inde ab antiquissimis temporibus per

[1]) cf. Preller Röm. Mythol. p. 454.
[2]) cf. Preller l. c. p. 458 sqq.

omnes deinceps aetates summa auctoritas erat. In quarum numero primum locum obtinet Mania, quae mater Larum putabatur (cf. Varro l. l. IX. 61) et Larvarum. Alia nomina sunt Dea Muta vel Tacita (cf. Ov. Fast. II. 571. 581) et Lara vel Larunda (cf. Ov. l. c. II. 507). Eodem pertinet Dea Dia, quod nomen a sanscrita radice div (h. e. splendere) derivatur et ad Manium ampliorem naturam spectat. Alia denique terrae et Manium dea antiquissima Genita Mana erat, cui canis, qui etiam Laribus sacer erat, immolari solebat. Omnes autem de his diis inferis notiones, ut supra commemoravi, Romanorum fuisse genuinas et proprias pro certo affirmari posse puto.

Neque vero qui apud Etruscos dii inferi habebantur praetereundi esse videntur. Erant duo imprimis, quorum alter Mantus appellatus, quod nomen compositum esse e vocibus Manes et tueri Pott[1]) vult, eandem, ac Romanorum Dis Pater naturam prae se fert[2]). Alter autem Etruscorum deus regni inferni erat eorum lingua Graeco nomine Charun dictus, qui tristis immanisque deus mortuos, qui in equo vehuntur, in Orcum deducit (cf. Preller l. c. p. 461).

Et de Romanorum diis inferis hactenus. Ex Germanorum autem opinione dea regni inferni Hel est, quae defunctos recipit receptosque retinet. Nam Hel, goth. Halja a verbo hëlan est ea, quae occulit[3]). Sed haec dea proprie et antiquissima aetate neque mors ipsa est neque homines crudeliter persequitur, quae notio posteriore tempore usitatissima erat, quum crudeli specie induta praecipue pestis tempore in equo, cui tantum tres pedes erant, circumvehi putaretur[4]).

[1]) cf. Kuhn, Zeitschr. VIII. p. 185.
[2]) cf. Serv. V. A. X. 148: Etrusca lingua Mantum Ditem Patrem appellant.
[3]) cf. Mannhardt Götterl. p. 318.
[4]) cf. Müllenhoff, Sagen p. 244.

Regnum infernum, in quo Hel dominatur, dicitur Niflheimr (h. e. nebularum mundus), et in septentrionibus esse putatur in ima terra sub radice arboris Yggdrasil. Nebulosum et frigidum est et in interiore eius parte ipsius deae sedes, quam Helheimr vocatam carcere ferreo saeptam Gjöll flumen circumfluit atque canis, cui nomen Gamr est, custodit[1]). Mortui autem per loca tenebrosa ad inferos equitant[2]), ut eadem haec nostrorum maiorum atque Etruscorum sententia fuisse videatur.

Omnium autem horum deorum, quot et quales cum inferis rationem habere putabantur, natura ac vis eadem fere dicenda est. Neque quemquam dubitare puto, quin Kuhn[3]) recte iudicaverit, totam Graecorum de Plutone et Proserpina fabulam unam eandemque esse atque eam, quae Indis de Yama et Yamî observata fuisset. Comparat enim cognomen Proserpinae, *δέσποινα* cum sanscr. dâsapatnî, quo cognomine dea Yamî appellabatur, et *Ἐρινύς* cum Saraṇyû, quae nomina suo iure eadem esse vult.

Imprimis vero quam arte opiniones de regno inferno inter se cohaereant, intellegitur ex illa communi et antiquissima sententia, mortuorum statum nihil aliud nisi alteram vitam esse. Attamen vita post mortem non integra est, sed manca quaedam et imperfecta, quippe quum animi stupore sensus impediti sint. Itaque Manes dicuntur taciti (Ov. Fast. V. 422), animae silentum (483), umbrae silentes (Verg. A. VI. 264). Quare quum defunctorum vitae condicio simillima sit priori vitae, pergunt et animi easdem res in regno inferno agere, ad quas vivi incubuerunt et locis ibi versantur qualia in

[1]) Mannhardt, Götterl. p. 319 sqq.
[2]) Weinhold in Hauptii Zeitschr. VII. p. 28.
[3]) Kuhn Zeitschr. I. p. 453. 465.

hac terra reliquerunt. Quale igitur et quibus simulacris instructum sit regnum infernum, in universum eaedem sententiae nobis occurrunt ut accuratius supra exposui. Magni autem momenti esse mihi videtur quod e maiorum nostrorum opinione defuncti cibis potibusque delectantur. Ut enim quae Graecorum fabula erat, Proserpina grano mali comeso non iam ad superos redire poterat, sic saepius in antiquis nostris fabulis praescribitur, ut ii, qui vivi in societatem mortuorum venerint, caveant ne cibis eorum fruantur ob eamque rem morti succumbant [1]). Eodem pertinet, quod prisci Germani in opinione erant, apud inferos animalia quaedam versari, canes praecipue, lupos apros, id quod pariter Indis ac Graecis observatum erat [2]).

Ex hac autem sententia de altera quadam animarum post mortem vita opinio illa stabilis et iam antiquitus vulgaris emanat, mortuos cum vivis propinquis amicisque semper coniunctionem habere. Inde intellegitur, quod omnibus persuasum erat, defunctos et humanas res curare et quae loca iis in vita cara fuissent, interdum visere. Et nostri quidem maiores animos mortuorum in terram redire putabant ultimis imprimis duodecim anni diebus, qui dies etiam nunc: die zwölften dicuntur. Eadem autem opinione ducti Iranii per decem deinceps ultimos anni dies patrum animis solemnia epula instituebant [3]). Praecipue vero huc multae opiniones vel hucusque populares spectant, animas malorum hominum post mortem spectra fieri variaque, saepissime canis specie indutas ambulare, cuius rei multa testimonia imprimis Kuhn attulit (Westfäl. Sagen).

Sed tamen hae notiones quae pertinent ad poenas

[1]) Schambach u. Müller, Niedersächs. Sagen p. 374.
[2]) cf. Kuhn, Westfäl. Sagen I. 65. 330 sq.
[3]) cf. Spiegel, Avesta übers. II. p. CI.

et praemia, quibus mortui affici putabantur, quamquam priscorum sunt temporum tamen a prima aetate non repetenda sunt, qua poenae defunctorum omnino aberant. Si autem Weinhold Germanorum de poenis futuris opinionem ad id tempus referri vult, quo illi christianam doctrinam amplexi sunt [1]), errat, et iure eum impugnant Dietrich (l. c. VII. 305 cf. IX. 175) et Simrock [2]). Nam dubium esse non potest, quin hae notiones iam multo priore aetate exstiterint quam ea qua Germani christianam doctrinam receperunt. Quod demonstrant multae antiquissimae nostrae antiquitatis fabulae, in quibus ii qui vivi gravia crimina commiserint cogi dicuntur ut apud inferos magna flumina pervadant, quorum in numero maxime Slîþr flumen commemoratur. Atque iam prior mihi opinio fuisse videtur de spiritibus illis, hominibus infestis, qui dicuntur riesen, kobolde et proprie ex animis humanis orti ad uberiores Indorum et Iraniorum de huiusmodi spiritibus opiniones respiciunt. Neque aliter Romani Larvas vel Lemures esse animas eorum, qui male hanc vitam vixissent, ob eamque rem post mortem eas circumvagari putabant [3]).

Quibus ex rebus apparet, apud omnes nationes indoeuropaeas et has de poenis et in universum omnes de morte vitaque futura sententias a miti quodam principio profectas tempore progredienti simili modo mutatas et in deterius conversas esse.

§. 4.
De funeribus et cultu mortuorum.

Etiam ritus, quos antiqui in funeribus peragendis observare solebant, maximam partem ad antiquissimas

[1]) cf. Haupt, Zeitschr. VI. p. 312.
[2]) cf. Allgem. Monatscr. 1853 Aug. p. 574.
[3]) cf. Apuleius d. d. Socr. apud Serv. V. A. III. 63.

communesque de vita futura opiniones referendi sunt. Quare quum de iis pauca commemoraturus sim, imprimis ad nostros maiores me convertam, qui prae aliis antiquas notiones funeribus manifestatas servavisse videntur.

Dubitari non potest quin antiquissimus quidam Germanorum mos fuerit, certe eorum qui prope ad mare habitabant, corpora mortuorum mari tradere, ut a mari mortui ad sedes suas deportarentur trans aquas illas, quae animarum regnum ab hac terra separare putabantur. Huc autem spectat quod in nonnullis fabulis traditum est, eos, quos zwerge dicimus et ex animis humanis factos scimus, corpus mortui recipere receptumque per mare ad animarum domicilia ducere [1]). Quare saepenumero mentio fit navis, in qua corpus collocari solebat; quin etiam in navi ipsa rogus exstruebatur in eoque mortuus cremabatur [2]).

Germani primis temporibus quoad scimus, aeque atque ceterae nationes et mortuos cremare et nonnullas corporis partes condere consueverant [3]). Concremabatur autem non solum uxor viva una cum coniuge mortuo, sed etium servi equus canes arma quaecunque domino antea cara fuerant, eum in mortem sequebantur. Tumulum exstructum aut corpus antea expositum ii, qui funus persecuti erant, circumequitare solebant, qui mos a priscis temporibus ortus perdiu in patria nostra restabat, quum ter sepulcrum circumirent indeque ad templa abirent. Quae quum omnia ad antiquissimas omnibusque nationibus indo-europaeis communes sententias respiciant, tamen aliae exstant res gravioris momenti. Nam idem nostris maioribus atque Graecis et Romanis praeceptum

[1]) cf. Wilh. Müller, Gesch. u. Syst. d. altd. Relig. p. 504.
[2]) cf. Simrock, Handb. d. d. Myth. p. 213. 597.
[3]) cf. Weinhold, Heidn. Todtenbest. 41. 115.

erat, ut mortuo pecuniam apponerent [1]). Plane eandem porro atque Indi sententiam et consuetudinem Germani servabant, quum vaccam funus prosequi vellent, qui mos originem ducit a pervagata illa opinione, ex qua animae in regno inferno a vacca flumen traducuntur. Denique opinio sane memorabilis, non esse fas, si quis mortuus esset, flere, omnibus his nationibus propria est [2]).

Quod autem ad cultum venerationemque mortuorum attinet, Germani antiquissima iam aetate amplexi sunt opinionem Indorum, qui ab initio patres defunctos summis honoribus dignos habebant. Hoc imprimis sacrificia ostendunt, quae in honorem animarum defunctarum institui solebant. Eadem mortuorum veneratio inest in Romanorum uberrima illa sepulcrorum cura [3]), deinde vel maxime in tot sacrificiis, quae et diis inferis et Manibus offerrebant, ut dii propitii essent Manibus et hi requiem pacemque nanciscerentur.

Quibus in sacrificiis perficiendis eosdem in universum fuisse ritus apud omnes has nationes satis cognitum habemus. Propinqui et amici maiores epulis solemnibus honorant et ad ea animas invitant, ut una secum edant. Quare haec epula, quae Romani silicernia dicebant, silentio celebrabantur, ne animae perturbarentur neve abirent. Hae autem feriae non solum institui solebant quo tempore corpus mortuum nondum sepultum coram propinquis collocatum erat, sed etiam ad sepulcrum tumulumque, deinde certis anni diebus renovabantur. Omnibus porro quum persuasum esset, oportere sanguinem in honorem mortuorum effundi (cf. Serv. V. A. III. 67. V. 78), plerumque animalia immolabantur, primis autem temporibus etiam homines inferis devotos esse, satis con-

[1]) cf. Simrock, Handb. d. Myth. p. 600.
[2]) cf. Kuhn in Wolfii Ztschr. f. Myth. I. p. 62 sqq.
[3]) cf. Varro ap. Aug. de civ. dei VIII. 26.

stat [1]), sive id ad animas sive ad deos inferos placandos factum esse putamus.

Apparet igitur ex his, quas commemoravi, rebus, quanto studio nationes indo-europaeae mortuos patres coluerint. Ortus autem est hic maiorum singularis cultus e praeclara et augusta natura, qua primis temporibus mortui praediti esse existimabantur. Nam omnes nationes, quarum genuinas de morte vitaque futura opiniones investigavi, semper pro certo habebant, defunctorum animos et in natura versari et superstitibus invisibiles adesse eorumque curam gerere. Quam ob antiquissimam communemque sententiam pulchrum illud vinculum sempiternaque cum patribus defunctis coniunctio quum aliis tum maxime his nationibus propria atque innata sunt.

---

[1]) Quod apud Getas, qui Germani habentur, factum esse Herodotus tradit IV. 94.

Berolini, Typis A. W. Schade (L. Schade).